

**Sterilitas consensu ac autoritate illustris medicorum ordinis in celeberrima  
Salana / [Johann Michael Bertuch].**

**Contributors**

Bertuch, Johann Michael, active 1683.  
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.  
Universität Jena.

**Publication/Creation**

Jenae : Literis Krebsianis, [1684]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bfdwm544>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



51  
S<sup>J.</sup>T<sup>J.</sup>TERILITAS

consensu ac autoritate  
Illustris Medicorum ordinis  
in celeberrima Salana  
sub praesidio

AUGUSTINI HENRICI  
FASCHII, D.

Anat. Chirurg. & Botan. Prof. Publ.

Archiatři Ducalis Saxonici *b. t.* Decani,

*Patroni, Praeceptoris, Promotoris ac  
Hospitalis aetatem suscipiendi,*

PRO LICENTIA

summos in arte medica honores & privilegia

Doctoralia legitimè capessendi,

*ingenuo eruditorum examini submittitur*

JOHANNES MICHAEL BERTUCHIO,  
Gothano,

in auditorio majori,  
horis ante & pomeridianis,

*ad diem Febr. an. MDCC LXXXIV.*

---

J E N Æ,  
LITERIS KREBSIANIS.



*Serenissimo Principi ac  
Domino,*

**DN. FRIDERICO**

Duci Saxoniae, Juliaci, Cliviae &  
Montium, Landgravio Thuringiae, Mar-  
chioni Misniae, Principali Dignitate Comi-  
ti Hennebergiae, Comiti de Marcâ & Ra-  
vensburgo, Dynastæ in Ravenstein  
& Tonnâ,

*Domino Meo Clementissimo,*

Exercitium hoc Inaugurale,

humilimam animi mentem

declaraturus

*offero*

*Serenissimæ Ipsius Celsitudinis*

subjectissimus servus

Johannes Michael Hertuch

Medicinæ Doctorandus.





## PROOEMIUM.

**F**uit *Arellius*, ante Augusti tempora, Romæ pictor celebris, nisi flagitio insigni corrupisset artem. Semper enim alicujus foeminae amore flagrans, Deas pingebat dilectarum imagine. Itaque in picturis scorta numerabantur. Vereor, ne idem mihi contingat, atque probro ac dedecori vertatur, quod juvenis adhuc, & in foro medico diu nondum exercitatus, ejusmodi affectum, SPECIMINIS INAUGURALIS loco proponendum selegim, in cujus explicatione partes, quas natura in sequiori sexu aliàs occultare amat, detegere, deque iis, paulò liberius repetitâ jam vice differere cogor. Flagitii principium est nudare inter cives corpora, inquebat *Ennius* apud *Ciceron. lib. 4. quest. Tuscul.* quod Romuli lege erat prohibitum; & nihil tam pronum ad libidinem, quàm ea, quæ vel natura abscondit, vel disciplina velavit, membrorum operata retegere, deque iisdem confabulari. Sic apud Persas nudum inspicere hominem, grande erat nefas & mortepiandum, quod teste *Herodoto lib. 1.* apud Lydos, aliosque barbaros etiam erat in usu.

*Verum*, cum *Celsi* elogio sermonis pudorem & artis præcepta simul servare difficile non modo, sed plane impossibile sit, & naturâ duce nullum detur turpitudinis flagitium, condonent mihi animi scrupulosiores, quod vi-



rorum in arte medicâ præclarissimorum exempla secutus, stylo liberiori scapham scapham nominaverim. Hoc fanè non fit, ut lasciviæ incitamenta suggererem, sed ut affectûs maximè exosi indole erutâ curationem concinnam exhiberem, memor illius, quod *Theodorus Priscianus* dicere solebat, inter mysteria, quæ medici circa mulieres faciunt, omnium maximè necessarium & gloriosum esse, quod impendatur in conceptum; imò nihil magis medicos reddere divites, quàm conceptum adjuvare.

Si verò quis præter spem tam petulanti sit splene, ut ea, quæ de rebus generationi inservientibus dicta fuerunt, ad impudicas cogitationes & verba lasciva trahere tentet, ille nequitia suâ luat pœnas. Mundis omnia munda. Animum qui affert impurum, non auferet infectum. Meas tuetur partes *D. Augustinus lib. 14. de civitate Dei. c. 23.* quando dicit: Quisquis ad has literas impudicas accedit, culpam refugiat, non naturam; facta denotet suæ turpitudinis, non verba necessitatis, in quibus facilè pudicus & religiosus lector ignoscet... quia non damnabilem obscœnitatem commemoramus, sed in explicandis, quantum possumus, humanæ generationis affectibus, verba tamen obscœna devitamus.

Censor itaque iniquus dissertationis hujus cancellos non intret, aut si intraverit, exeat rursus, ne eidem accidat, quod *Catoni* olim, cum theatrum, in quo ludi Florales à nudatis mulieribus celebrabantur, evenisse legitur. Scilicet monitus fuit à Favonio, ut discederet.

Supremum ego Numen devotis veneror precibus, ut conatibus meis addere velit successus felicissimos!

CAPIT



3.  
CAPUT I.

*a nominis explicatione exordi-  
um sumit.*

**D**E sterilitate pauca quædam commentaturi, ne in ignotâ, quod ajunt, sylvâ versantes sæpe impingamus, necesse est monita observare *Xenophontis lib. 1. de institut. Cyri*, dicentis: ἔδέν ἔτας ἔτ' εὐχρηστον, ἔτε καλὸν τοῖς ἀνθρώποις, ὡς ἡ ἄξις; Hujus dicterii memores, ut omnia ordine & methodô certâ ac eleganti pertractentur, nominis explicatio philologica erit præmittenda.

Δύο, ait *Clemens Alexandrin. lib. 6. Strom. εἰσὶν ἰδίαι ἀληθείαι, τὰ τε ὀνόματα καὶ πράγματα*. Nomina quippe rerum existunt cubilia, ut in nativâ facie vix melius conspici valeant, quàm per hæc involucra. Unde & *Philosoph. 1. poster. analyt. cap. 1. πρώτως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα* jubet, quia ex his, *juxta laudatum Auctorem προὔπερχέσταις γνώσεσι*, cujusque rei facilior & expeditior tractatio. Hoc autem feliciter in effectum traducere vix poterimus, nisi viâ, hæctenùs in scholis medicorum tritâ incedentes evolutionem hanc nominalem ETYMOLOGIA, HOMONYMIA & SYNONYMIA absolvamus.

ETYMOLOGIAM quod concernit *sterilitas* dicitur à *sterilis, e*, quæ vox origine græca, temporis successu in Latium fuit introducta. Derivatur à nomine *στῆρ*, quod est ex *στέρω*, *privo, orbo*; unde & *στέρησις privatio*, *vid. Martin. lexic. etym.* Nonnulli derivatione hæc non contenti, aliam in proscenium protrahunt deducendo sterilitatem à barbaro vocabulo *stera*, quod uterum seu matricem designat; *quo de Ger. Job. Vossius l. 2. de vitis sermon. latin. cap. 50. p. m. 633.*

HOMONYMIÆ ratio etiam habenda, quæ, nisi probè excutiatur, fœcunda variorum errorum genitrix existere solet. Insignis enim apud Autores hujus nominis occurrit latitudo. 1. *In genere* quamcunque denotat infœcunditatem sive infructuositatem, & animantibus æque adcommo-dat, ac inanimatis; quò in signi-



ficatu apud *Plinium*, agri & montes; apud *Curtium* terræ & arenæ steriles dicuntur. Apud *Columellam* legitur annonæ sterilitas. *Tacitus* l. 1. *Histor.* c. 30. seculum virtutibus sterile nominat, in quo virtutes suppressæ & carceribus quasi inclusæ detinentur, & l. c. c. 90. donum usu sterile, quò nullam conciliamus gratiam. Ita *Plautus* *Trucul.* 2. 1. 30. sterilem à datis vocat avarum. *Œtis* pecuniæ steriles sunt, quæ nullam pariunt usuram l. 7. ff. de usur. (2.) *Specialitè* malum utrique sexui commune complectitur, de quo *Arist.* l. 2. de gen. animal. c. 8. *Mercur.* l. 3. de affect. mulier. c. 2. *River.* l. 15. *prax. med.* c. 15. aliq̄s. (3.) *Specialissimè* mulieribus solummodo imponitur, utpote quarum proprium est parere; hóc si orbantur, nullumque edunt fœcunditatis indicium, jure optimo steriles salutantur; quâ significatione etiam hâc vice venit, & pro causarum diversitate aliam distinctionem admittens sumitur vel absolutè, vel respectivè.

*Absolutè* steriles dicuntur, quæ ad concipiendum pariendumve planè sunt ineptæ, sive hoc fiat à vitio congenito; sive à dispositione morbosâ. vid. *Hippocrat.* l. de nat. mul. & l. de steril. *Respectivè* verò, quando ad tempus saltem steriles sunt, respectu scilicet hujus vel illius mariti. vid. *Mercur.* l. c. *Mercurial.* de morb. mulier. lib. 11. c. 2. Sic *Livia* ex *Tiberio Nerone* liberos suscepit, *Tiberium* videlicet & *Drusum*; *Cæsari* verò *Augusto*, etsi maximopere ab eodem adamaretur, nullam edidit sobolem teste *Tacito* l. 5. *annal.* c. 1.

Tandem *SYNONYMIA*, quæ variorum nominum appositione rei illustrat evidentiam, examinanda. Græco idiomate dicitur στένης & στείρωσις, *Mercuriali* & *Primerosio* scribere placet στήρωσις. *Galenus* vocat ἀτοκία, unde apud eundem & *Plinium* ἀτοκον medicamentum est sterilitatem inducens. *Plutarcho* ἀγονία & ἀτεκνία, *Hippocrati* ἀφορμία & ἀγεννησία audit. Apud *Romanos* eminet sterilitas, infœcunditas, vanus concubitus, conceptionis lesio, & quæ sunt aliæ circumscriptiones, quibus leporem & modestiam æstimant Autores. *Impregnationis difficultas* etiam dicitur, quamvis *Guainerius* de agrit. *matric.* & *Forestus* l. 28. observ. 58. sterilitati contradistingvant. Si verò fascino malum originem debet, ligatura; fœminæ cò correptæ, ligatæ nuncupantur, autore del Rio *disquisit.*



5.  
disquisit. magic. l. 3. p. 2. s. 7. Hebraei utuntur vocula  $\text{קָרַע}$  à ra-  
dice  $\text{קָרַע}$  extirpavit, enervavit; Germani die Unfruchtbarkeit,

## CAPUT II.

### *definitionem exhibet realem.*

PRæmissis iis, quæ ad nominis evolutionem faciunt, rei ipsius es-  
sentia, quò melius innotescat, opus est, ut disertissimi *Romano-*  
*rum Oratoris*, & ex nostræ artis primiceriis, *Pergameni* præcepta  
attendamus. Ille *lib. 1. de offic.* omnis, ait, quæ de re quadam susci-  
pitur disceptatio, ab eo, quid res sit, sumit exordium: hic verò *in defi-*  
*nit. med.* ὁρῶσι τὸ λόγον τὸ εἶναι δεῖλῶν, *definitio est oratio, rei*  
*essentiam quæ declarat*; inde sequentem damus definitionem:

*Sterilitas est mulieris, justo ætatis vigore constituta,*  
*et viri benè sese habentis consuetudine utentis im-*  
*potentia ad concipiendum, proveniens à lesò uteri*  
*archo.*

Definitionem hanc utpote essentialibus suis partibus constan-  
tem exactè affectui nostro competere, cuilibet ipsam intuenti faci-  
lè patefcit. *Generis* loco ponitur *impotentia*. Hæc uti essentiam  
sterilitatis in genere determinat, ita etiam sterilitatis muliebris ra-  
tionem formalem complectitur.

Quamlibet enim conceptionem præcedere debet *1. carnalis*  
*utriusq; sexus, virilis æque ac muliebris, copula*, sine quâ impossibi-  
le est, foeminam concipere foetumque eniti. Naturæ legibus id con-  
trariari, ratio evincit & experientia. Cur quæso, ea, quæ in super-  
fluis nunquam abundat, diversum produxisset sexum, si foemina  
sola humanam servare posset posteritatem? nonne sexus nobilior es-  
set frustraneus?

Fabulosa proinde est narratio *Pompon. Melæ l. 3. cap. 3.* de in-  
sulâ, mulieres absque virorum compressione concipientes suaque  
sponte foecundas producente; & erronea *Vallesii* opinio, quando  
*lib. 2. controvers. med. et philos. c. 7.* evincere conatur, foeminam ex  
se solâ posse concipere, sed solummodo foemellas, easque debillimas.  
Insignem quoque erravit errorem *Parlamentum Gratianopolita-*  
*num,*



*num*, dum filium *Magdalena d' Auvermont*, quarto post mariti absentiam anno, natum, legitimum paternorum bonorum hæredem publicâ sententiâ constituit; persuasum à medicis & obstetricibus, filium istum solâ imaginationis vi fuisse conceptum. Historiam cum Parlamentorum decretis prolixè describunt *Harsdörf. theatr. histor. amæn p. 7. c. 2. Th. Barthol. histor. rarior. cent. 6. histor. 61. Deusing. histor. fœt. extra uter. genit. sect. 2. §. 35.* Nostra sanè ætate vix invenies maritum tam credulum, ut tale quid ab uxore sibi persuaderi patiatur, etiamsi medici & obstetricis testimonia, imo ipsius judicis sententiam petat in subsidium. Neque minorem perpessus lapsus *Averrhoës*, cum ætatis floridæ fœminam ex balneo, cui semen infusum virile, concepisse affirmat; hoc certè, sicuti ex vetulæ cujusdam relatione habet, ita ceu anilem fabulam cum aliis ejusdem farinae historiis jure deridet *Sinibald. l. 1. Geneanthr. tr. 3. cap. 7.*

Multo minus fœmina ex fœminâ fœcundari potest, quod quidem *Amat. Lusitan.* vir aliàs non ineptus, satis ineptè tamen asserit *curat. med. cent. 7. cur. 18.* de Turca quadam muliere, quæ cum marito, qui diuturnum meditatus iter, congressâ, nullâ interpositâ morâ vicinas adierit ædes, ibidemque aliam à se adamatam comprimens, imprægnaverit. Fœmina ista, dubio procul ex illarum fuit numero, quæ libidine detestanda utramque exercent Venerem & *ἡδαιδες* Græcis, Latinis *fricatrices* vocantur, nunquam tamen uterum imprægnant. De his scribit *Cælius Aurelianus lib. 4. tard. pass. c. 9.* lubentiùs cum fœminis, quàm cum maribus misceri, mutuis congressibus tam incubis, quàm succubis sese pollutentibus. Exemplum desideras? evolve *Leon. Afric. peregrinat. l. 3. Schenck. observ. lib. 4. Tulp. observ. med. l. 3. c. 35.*

2. *Præcedere etiam debet conceptionem copula efficax h. e.* ut materia conceptum constituens à muliere in actione conjugali modo legitimo suppeditetur, quæ nihil aliud est, quàm ovulum, mole suâ perexiguam, in quo, ut *Malpighius* effert *anat. plantar. p. m. 38.* cicatrix fœcundâ colliquamenti portione ambitur, quod in uterum delapsum, adveniente ab eodem succo nutritivo in novum excrescit ovum, adaucto sensim fœtu. Hæc igitur materia, quamvis primâ fronte levis, & nullius ferè ponderis appareat,



ad uteri fœcundationem tamen summè est necessaria, ut eâ deficientem, aut illegitimè suppeditatâ statim adsit impotentia ad concipiendum, nostrâ jam quæ considerationis.

*Ad concipiendum* addidimus in definitione, ut concipientes quidem, conceptum verò ante legitimum tempus rejicientes, hoc vitio, quo propriè non laborant, eximantur, quod contra Vallesium bene tenendum monet *Paul. Zacchias quest. med. legal. l. 3. t. 1. q. 7. n. 8.* & contra Moschionem *Primeros. libr. 4. de morb. mulier. cap. 1.*

Notanter etiam dictum fuit: *mulieris justo ætatis vigore constituta*; quo ipso indicatur, ad sacra matrimonii munia obeunda debitam postulari ætatem, variè à variis præscriptam Autoribus. Plurimi cum *Aristotele* commodissimum nubendi tempus judicant ab anno ætatis 14. usque ad 45. Illud, quod *Montanus* determinat, nec mulierculis, nec *Sinibaldo* arridet, causas vide apud citatum Autorem *l. alleg. lib. 2. tr. 3. c. 4.* Optima enim proles provenit, *ὅταν ἀμύνη*, cum vigent parentes, inquit *Philosoph. l. 5. histor. animal. c. 14.* Hi verò non semper, sed solùm in ætate juvenili & consistente vigent, virent, florent. Plenis nubilem annis Herus & Leander feliciter lætis indulgent amoribus; extinctò verò lucernæ lumine, calore quippe naturali deficiente, juvenilis quoque concupiscentiæ ardor extinguitur, & gelidâ senectutis procellâ exagitati aquis immerguntur tandemque planè suffocantur, sonant verba *Rolfincii, τὸ μακαρίτης*, *ord. & meth. cognosc. part. genit. per anat. part. 1. cap. 1.* Hinc puellas & vetulas, quibus sterilitatis nota neutiquam inurenda, hic excludimus, quamvis nec virum pati, nec sobolem eniti valeant, quia id, naturâ sic jubente, ipsis accidit.

In puellis enim, humor alimentaris sive lymphâ balsamica, *ὀφθαλμοῖς* blandis particulis fœta, ex qua aliàs liquor seminalis fœcundus in ovulis ovario contentis elaboratur, in augmentum abit, attestante maximo, uti à *Seneca* appellatur, Medicorum & hujus scientiæ conditore *1. aphor. 14.* Cui nec ipse *Philosophus* refragatur *lib. 1. de gener. animal. cap. 18.* Insuper, (ut iterum verba *B. Rolfincii* mea faciam) acerba res est, & immitis uva virgo ante tempus decerpta, quæ, ut canit *Horatius*:

Non-



*Nondum subactâ ferre potest jugum  
cervice,*

& eam ante contestatam sanguine maturitatem, viro qui tradit, injuriam facit naturæ.

Cæterum, quod *Olearius Itiner. Persic. lib. 2. cap. 12.* de Russicarum & Finlandicarum fœmellarum undecennium matrimonio tradit, & *Savonarol. tr. 6. præf. maj. rubr. 6.* de puella, quæ nonô ætatis anno peperit; *Kotzack tr. med. de sal. cap. 8. sect. 12.* de octenni à juvene novenni imprægnata; *Crus. annal. Sæv. p. 3. l. 4. cap. 11.* *Schenck. l. 4. observ. 125.* & *Th. Barthol. histor. rar. cent. 5. histor. 17.* de aliis octennibus, novennibus & undecennibus puerperis referunt, ipsis ut Autoribus fide dignis credimus, sed qualesnam ex tam præcoci puerperio prodierint liberi, quidque parentibus consenscentibus evenerit, adnotatum non videmus. Immaturam hanc ætatem immaturos produxisse fructus affirmare quid prohibet? Evolvi merentur, quæ de tam immaturo conjugio *Conringius, in cineribus nunquam sine honoris titulo nominandus*, disquirat *lib. de habit. German. caus. p. 41.* Fidem superare videntur, quæ *Plinius l. 7. histor. nat. cap. 2.* & *Solin. collect. rer. memorab. cap. 65.* de fœminis quibusdam Indis quintô ætatis annô fœcundis, sed vitam rarò ultra octavum protrahentibus, item *Mandelslo Itin. Orient. cap. 39. l. 1. p. 106.* de puellâ, sex annos natâ, filium enixâ commemorant.

Vetulas, quæ ab *Apulejo l. 4.* busto dignæ, vitæ dedecus & orci dicuntur fastidium, quod attinet, eas ad opus hocce naturalissimum planè ineptas existere, prolixâ non indiget probatione. Natura enim ob caloris debilitatem in illis tam operosa non est, ut succum alibilem cogat in liquorem feminalem, cum pro generatione ampliùs eodem opus non habeat. Exempla à *Valesc. de Taranta l. 6. p. bilon. pharmac. c. 9.* & *Schenck. l. c. observ. 132. 133.* literis mandata, & à *Sperling. de format. fœt. in uter. c. 3. q. 3.* repetita, quoniam ex rarioribus, tantam non merentur attentionem, multo minùs novum in physiologia constituunt canonem.

Ex allatis itaque nunc suâ radiat luce, ætatem habilem jure merito desiderari ad conceptionem, quamvis ob diversam diversorum individuorum constitutionem, aliasque causas fortè externas, modò citius sese exerat, modò diutius perduret.



*Viri benè sese habentis consuetudine utentis*: pergimus, ut mulieres, viro impotenti seu frigido junctas, ab hoc vitio, ceu innocentes, absolvamus. Fœminam solam absque virili compressione concipere non posse, liquet ex prædictis. Si igitur ob maris, quod sæpè fieri consuevit, impotentiam sufflaminatur conceptio, sanè fœmella in steriliū censum neutiquam collocanda, nec, qui hinc subsequitur, imprægnationis defectus, atro infœcunditatis carbone signandus.

Ad quamnam rerum p. n. classē referendus sit affectus, inventu haud est difficile: siquidem quia *διάθεσις παρὰ φύσιν*, accidens scilicet, neque morborum, neque causarum generi ad sociari commodè potest, ad symptomata facultatis læsæ, in specie naturalis abolitæ, ad commodatur. Sunt, qui cum *B. Mæbio l. 2. epitom. instit. med. p. 2. c. 13.* ad symptomata facultatis genitricis referunt; nobis tamen minimè contrariantur. Spiritum quippe genitalem pro diverso à vitali ac animali agnoscentes, peculiarem facultatem, genitricem videlicet, eidem adsignant, sicque sterilitati inter symptomata facultatis genitricis locum tribuunt.

### CAP. III.

## *Subiectum ventilat.*

Ostensâ morbi sede, curationes facilius in notitiam venire, non solum omni tempore probè attendunt Medicorum præclarissimi, sed & illius indagandæ necessitatem anxie inculcat *Galenus 2. de loc. affect. ἵνα εἰδωμεν πῶς μερῶν ἕξιν πρὸς φέρειν τὰ φονήματα*, ut scilicet sciamus, cui parti medicamenta sint adplicanda. Horum vestigia prementes, subiectum affectus paulo dilucidius ut explicemus, ordinis exoptulat ratio.

Illud in genere constituitur duplex, aliud ut *Quod*, aliud ut *Quo*. *Subiectum ut Quod*, cui radicaliter & ultimè inhæret adjunctum, est tota sexus sequioris fabrica microcosmica, anima con- stans rationali & corpore animali; de hac affirmatur, quod laboret sterilitate. Mas enim autore Aristotele *lib. 1. de gener. animal. cap. 2.* est τὸ εἰς ἄλλο γεννῶν ζῶον, animal generans in alio,



*alio*, foemina verò τὸ εἰς ἑαυτὸ καὶ ἐξ ἧ γίνεται ὑπάρχων ἐν τῷ γεν-  
νῶντι τὸ γενόμενον, *id quod in se ipso & ex quo fit, quod generatur,*  
*contentum in eo, quod generat.* Hinc exclusò à conceptione & par-  
tu mare, ille hoc modo sterilis dici non potest. De mulierum  
sterilitate solâ hâc vice disquisitionem institui, ex suprâ dictis cui-  
bet erit cognitum atque perspectum.

SUBJECTUM UT QUO, hoc est, quò mediante subjectum  
*Quod* aliquid recipit, est corpus foemininum organicum ejusque  
partes.

PARTEM AFFECTAM PRIMARIAM seu *subjectum principa-*  
*le* absolvunt *partes* generationi primariò inservientes, quas *duplices*  
deprehendimus, *alias* foecundationi, *alias* conceptioni dicatas. *Istæ*  
sunt ovaria cum ovulis & tubæ Fallopiantæ; hæ uterus.

*Ovaria*, quorum usum & structuræ accuratioris notitiam,  
*Hornii, Stenonis, Kerckringii, Graefii, Swammerdamii, Bartholi-*  
*ni Jun.* aliorumque industriæ debemus, si improbam in generandis  
ovulis navant operam, ut virus feminine debito modo non recipi-  
ant, obicem ponunt foecundationi, sicque affectus subjecti princi-  
palis culpam subeunt.

*Tubæ Fallopiantæ* à *Vesalio lib. 5. fabric. corpor. hum. c. 15.* sub va-  
forum deferentium schemate depictæ, quando ob pravam confor-  
mationem contagio seminali, à mare utero communicato, aditum  
ad ovaria aut præcludunt, aut dato accessu, imprægnato ovulo transi-  
tum denegant, aut factâ compressione, illud frangunt. Simile in-  
fortunium ab eorundem intemperatâ dispositione metuendum esse,  
sedula cadaverum sectio testatur.

*Uterus* sicuti à provida matre natura, humanæ generationi ad  
speciei conservationem unicè est destinatus, ut citra convenientem  
illius adparatum frustra expectaveris conceptum, *consentiente Har-*  
*veo de concept.* ita, cum contrariorum idem subjectum, læsæ hu-  
jus actionis pars affecta principalis jure etiam inculpari potest in  
quibusdam.

*Soli* enim utero datam esse concipiendi provinciam, neque  
ullibi extra eundem conceptum fuisse repertum, omnes ferè præsci-  
ævi scriptores unanimi testantur suffragio: nostro tamen seculo,  
quo



quò excusso autoritatis majorum jugo, plurima anthropologiæ mysteria, non tam mentis oculorumque, quam cultri anatomici acie, revelari consueverunt, hâc de re à quibusdam non infimæ notæ medicis dubitari cœpit, utpote qui experientiâ, quæ *Menandri* elogio inexperienciæ meritò imperat, firmati, existimant conceptionem etiam, rarò licet, extra uteri confinia fieri posse.

Dubitationi huic primus ansam dedit *celeberrimus Parisiensium Professor, Riolanus*, vir aliàs, Bartholini effato, tardæ fidei, dum in *animadv. ad Vesling.* scribit, multiplici constare experientiâ fœtum extra uterum in tubis conceptum fuisse; idque *lib.2. Anthropol. cap.34.* trium exemplorum recensione comprobat.

Quod ipsum ut veritati conforme, quoque adstruit *Harveus*, & *exerc. 63. de gener. animal.* simile quid à se observatum narrando ad suas pertrahit partes *Hornium & Deusingium*. Eiusdem argumenti historiam habet *Vassalius*, Chirurgus Parisiensis, *actis philosoph. societ. Reg. Anglic. an 1669. mens. Jun p.m. 814.* intertextam, quam *Nobiliss. Elsboltius* epistolâ eleganti ad *D. Wolrathum Huxholtium Ephem. German. dec. 1. an. 4. & 5.* adnexâ, illustravit. Huc quoque trahere simulque inserere liceat, quod in *analectis* suis habet *Exc. D.D. Praeses, Praceptor, Hospes ac Studiorum Promotor debitâ animi reverentiâ ad urnam usque suspiciendus*, qui in nobilissimâ conjugē, post minùs feliciter enixum fœtus sinistrum bracchium quæ exspiravit, altero die in apertâ abdominis cavitate fœtum intestinis quasi instratum deprehendit, & exploratione decenti instituta, rupturam uteri in sinistrò latere proximè ad os internum deprehendit, uterique reliquam substantiam albam, duos digitos crassam, capitis magnitudinem æquantem, certissimo argumento, fœtum ad fines uteri coactum hæsisse circa os internum, moleque suâ extendisse illam uteri partem, ita, ut, dum exitum quæsivit, prægresso maximò parturientis dolore planè disruperit illam, & in abdominis cavitatem cesserit. Moles crassi istius uteri pendebat libras civiles sex & quadrantem. Hæc tamen obiter.

Augere dubitationem videtur nota apud *Salmuth. cent. 3. observ. 94.* historia, de juveniculâ ex nefando congressu fœtum per os enitente; ut & fœtus *Mussipontanus* extra uterum, in media abdominis



minis cavitate conceptus, ibique post matris obitum repertus, quod de *Straussius tract.* peculiari videri meretur. Addi potest, quod *Th. Bartholinus* variis in locis suorum scriptorum tradit de fele in arce Fridericiburgensi, summâ cum adstantium & spectantium admiratione ac stupore, foetus suos per os eructante; & *Rommelius discurs. physico-med.* de foetibus leporinis extra uterum repertis. Accedit ulterius *Wieri, Zac. Lusitani, Plateri, Plempii &c.* autoritas, quâ proditur, mulieres nonnullas, quibus corruptus uterus fuerit abscissus, non solum superstites mansisse, sed & liberos procreasse. Imò subsidium petere posset dubitatio ex historia à *B. Rolsincio l. c. p. 2. c. 45.* de Romana muliere notata, nisi *Cesalpini* censura fuisset adnexa.

*Verum enim verò* hæc & similia omnia *Diemerbræck. l. 1. anat. c. 23.* tanquam nugas & fabulas ex anili depromtas colo rejicit; quo verò jure ostendit *Swammerdam de uter. muliebr. fabr. p. 26.* In quibusdam calculum ipsi promte adjicimus, non autem in omnibus. Nam quæ de conceptione tubariâ diximus, extraordinaria quidem sunt exempla & rarissima, rationi tamen & experientiæ non contraria, neque ex anili depromta colo, siquidem naturæ ordini nihil derogant; multo minus ordinarias in Physica regulas evertunt.

Uterum igitur solum foetus conceptioni, formationi & gestationi aptum præbere domicilium, præter jam dicta sole meridiano clarius dispalescit ex elegantissimâ ac stupendâ propemodum illius structurâ, quam ex anatomicis & physiologicis latius hic repetere animus non est, id solummodò notasse sufficiat, quod uti conceptionis locus ordinarius, ita quoque præter legitimam conformationem justa quoque dispositio & maturitas quasi requiratur, sine quâ nullus congressum subsequitur conceptus.

Maturitatis indicium stata præbet ætas. In quonam autem illa consistat, & unde dependeat, difficilis sanè est determinationis. Fermenti uterini energiæ, cui cum *Helmontio & Willisio* plurimi patrocinantur, plurimum hic tribuendum, refragante licet *Peyero & Hardero prodr. physiol. c. 9.* Archeus enim toti & cuilibet parti prospiciens, auctis & concitatis partibus in massa sanguinea, balsamicis, volatilibus, Acis & salinis, aq̄e nimiâ, quâ antea irre-



irretiebantur humiditate, liberioribus factis, fermentum hoc, à primò formationis tempore, in utero latitans, suscitatur atque exaltatur, cujus postmodum ope *ὄργασμὸν* sive turgescientiam ciet in sanguine, quò, auctà hujus mole, pars superflua, reseratis vasculorum utero & vaginæ implantatorum osculis, statò tempore excidat atque evacuetur, neque tamen supra mensuræ ordinariæ pondus, donec, urgente necessitate, foetui generando impendere possit. Hinc calor vegetus existit, vox sonora, vires robustæ evadunt, mammæ fororiari, pilosæ progenies in pudendis erumpere incipiunt, ac foemina ad conceptum apta fiunt, *confirmante ipso Arist. l. 7. histor. anim. c. 1.* sicque dicta dispositio & maturitas exoritur. Hanc etiam fabricat idem archeus, ovula foecundo liquore seminali turgida in ovario elaborando, quæ ceu fructus maturus effluvia quædam *Θινο-Δεα* de se spargunt, & partim sanguini, partim nervoso generi communicata, peculiare in corpore dant motus, spiritus sopitos excitant, qui ad organa generationi dicata, imprimis uterum, ruentes, Veneris appetentiam accendunt, prurientesque in libidinem raptus commovent, teste *Clar. Peyero epist. lib. cit. inserta.* Causas prætereà externas quasdam, præcipuè spirituum proventum largiorem promittentes, vel eosdem torpidos excitandi & ad partes genitales propellendi vi pollentes, multum huc conferre nemo fortean erit, qui dubitet; ex quibus juxta *Harveum de concept. p. m. 294.* præ cæteris nominanda familiaris foemellarum cum maribus conversatio, accedentibus, quas plerumque fieri amant, blandâ de aphrodisiis confabulatione, mutuâ osculorum impressione, aliisque amoris lascivientis illecebris: causas concinnè explicat *Willis cap. 22. nerv. descript. & usu p. m. 115.*

Hinc utero eò, quò hætenùs exposuimus modo, constitutò, cum commodior conceptionis officina non detur, nec embryoni tum efformando, tum ad debitum usque tempus gerendo magis adcommodatus locus vix inveniatur in toto corpore muliebri, nullum restat dubium, quin ejusdem fabrica, primariam in plurimis individuis affectus nostri absolvat partem affectam, inque ea omnis omninò resideat infœcunditatis culpa, nisi quis datâ operâ aliter stauerit. Pessundatâ quippe laudabili hæc constitutione, si vitium,



vel proprio errore, vel aliunde communicatum contraxerit, tunc certè partim virile miasma suffocando locum præscriptum attingere non finit, partim fœcundatum ex ovario per tubas devolutum ovulum fovere & retinere nescit, donec archeus architectus, novum ex eo domicilium extruere intendens, necessaria in subsidium petat; turbatus verò in opere, corrumpat, insensibiliq̄ue abortu illud rejiciat: atque sic frustranea Veneris litatio & sterilitas in thoro exoriatur.

Subjectum *adequatum* sive *causæ* sunt viscera primæ & secundæ coctioni destinata, hoc est, viscera chyli, sanguinis & lymphæ præparationi, elaborationi & depurationi destinata, ut ventriculus, pancreas, mesenterium, cor, hepar, lien, & omnes totius corporis glandulæ cum suis vasis, & quæ de earum natura participant, *verbo*, viscera omnia, quæ in sanguine generando, & lymphæ depuranda, fecernendâ & excernendâ malè locant operam, tum in toto, tum in parte.

#### C A P U T IV.

### *causas proponit immediatam & mediatas proximiores.*

**D**ifficilem esse causarum doctrinam, & intricatam illarum investigationem, nemò fortean negabit, nisi mente captus & aversus à vero; imò quorundam affectuum causam immediatam & proximam planè erui non posse, pluribus ostendere satagit *Excell. D.D. Amman. parænes. ad discipul. lib. 2. p. 2. c. 1.* attamen cum *Celso* monitore *lib. 1. præfat.* ille solùm rectè curat, quem origo causæ non fefellerit, & *Tralliani* iudicio; ἀδύνατόν ἐστιν εὐρεῖν τὴν θεράπείαν, τὴν αἰτίαν μὴ διεγνωκότας πρὸς τὴν νοσοποιὸν, *impossibile curationem invenire, nisi morbi effectrix causa prius sit cognita*; opus utique erit, ut si morbi hujus amolitionem feliciter moliri velimus, causas ipsius, quantum quidem in re hæc arduâ pro ingenii modulo fieri potest, probe evolvamur.

Has, quoniam multiplices & vel proximius vel remotius concurrunt,



currunt, ordine usitatò excutiemus à PROXIMA ET IMMEDIATA initium sumentes, quam facimus *archeum uteri læsum*, seu, quod prisca ævi dixerunt scriptores: *facultatem uteri conceptricem frustratam*. Atque ita in genere sentiunt omnes ferè, tum ex veterum, tum ex recentiorum scholis; in modo autem, quo concepatrix sive archeus frustratur, valde adhuc dissoni, cum alium veteres proponant, alium recentiores.

Veneranda antiquitas, frustrationem istam in quatuor operationibus, ad quamcunque conceptionem legitimam necessariis, radicare credidit, quarum (1.) ut mulier in congressu semen virile convenienter utero recipiat; (2.) ut receptum semen debito modo ac tempore retineat; (3.) ut illud foveat ac confervet; (4) ut materiam ad foetus formationem & incrementum conducibilem subministret. Inde etiam quatuor ejusdem impedimenta ordinavit, si scilicet foemina genituram non recipiat, non retineat, non foveat, non nutriat.

*Sed* Anatome oculatior cum aliud recentioribus, accuratâ & indefessâ investigatione naturæ arcana scrutantibus, apertè monstraverit ac detexerit, meritò, meliora hâc in parte edocti, veterum placita relinquimus; neotericorum verò opinionem amplectentes dicimus, archeum in arduo conceptionis humanæ negotio lædi *vel* à materiali heterogeneo uteri loculis inhaerenti, dum nimirum spiritus foecundi à mare sub crassiori spermatis tegmine excreti contagium sufflammat & impedit, quò minùs ad ovarium penetrare, ibidem torpidum ovulorum spiritum excitare, seque cum eodem vitaliter confermentando unire queat; *vel* à vitiosa conformatione, organis in specie generationi dicatis inductâ, quâ conjunctio matrimonialis aut planè impeditur, aut ovum non foecundatur, aut foecundatum diu non subsistit, sed morâ & radicatione prohibetâ exitum affectat.

CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS vices gerunt omnia ea, quæcunque archeum lædere, ipsi in opere suo turbas & impedimenta struere apta sunt. Illa ad duo potissimum genera reduci possunt, *vel* ad totum corpus, *vel* ad uterum.

A *toto corpore* vitium dependet, quando illud est aut nimis  
cacochy-



cacochymicum, aut nimis obesum. Sic apud scriptores medicos passim occurrunt exempla mulierum cacochymicarum & obesarum per aliquot annos steriliū, quæ sublato morbo feliciter conceperunt; de quibus infra commodior differendi locus.

Ab *utero & partibus genitalibus* verò, quando illarum constitutio est p. n. quæ consideranda *partim* ratione sui, *partim* ratione mensium.

*Ratione sui* considerata res per se est clara. P. n. enim ista constitutio originem debet *vel temperiei perversæ, vel conformationi prave*. *Temperies perversa* duplicem exhibet materiam peccantem, *vaporosam* videlicet seu potius flatuosam, & *humorosam*.

*Vaporosam* efficiunt flatus τῆς ἀρρώστιας τῆς ἰερῆς, *caloris respectivè debilis* & humoris aquei pernitiōsa proles. Hos peregrinos in utero generari, & tædiosam moliri tensionem, etiam suo adnotavit ævo Hippocr. l. 1. de morb. mulier. Eisdem, contradicente licet Helmontio l. de flatibus, accusat Bartholin. quando cent. 3. histor. 21. ait. observavi ex flatibus sæpè commotum uterum imposuisse mulieribus, quæ falso sibi persuaserant se uterum gestare. Exempla afferunt Dodonæus observat. medic. cap. 49. Marc. Donat. hist. med. mirab. lib. 4. c. 25. Höchstett. decad. 6. cas. 4. & Zacut. Lusitan. prax. admirab. l. 2. obs. 151. meminit Baronissæ pro gravida habitæ, quæ octavo mense infantis loco flatum magnò cum fragore utero extorsit, cum albæ pituitæ multâ colluvie; & alius novem-mestris, quæ partus dolore vexata, ex utero magnâ vi bombum elisit, ac si tonitruum exaudiretur. Paucis abhinc annis similes casus observavit Excell. Dn. D. Præses in sua praxi, semel in uxore quadam civis Jenensis, quæ, Lucinæ labores primâ vice expertura, præsentē obstetricē, aliisque mulierculis auxiliatrices in puerperio manus ferentibus, ex utero ter flatum voce leviter sonorâ absque foetu subsequente, emisit. Postea verò sterilis hydrope uterino fuit extincta. Deinde in nobili matrona cacochymica, quæ se concepisse gavisa ex signis aliàs consuetis, unde ad partum omnia debito tempore præparat, advocatâque obstetricē & aliis amicis advolantibus, u-



teri dolores quasi jam paritura experitur, nullo tamen foetu prodeunte, nihilominus in XVIII. mensera manente turgidô & motum per intervalla sentiente ventre, quasi ingravidatus idem esset adhuc. Lactavit interea se maritus atque uxor spe, sed prorsus vanâ! futuræ prolis, usque dum pharmacum propinatum nullitatem ingravidationis ostenderit. Digerentibus & evacuantibus tunc adhibitis, ampla vermium progenies evacuata unâ cum folliculis ovi gallinacei magnitudinem æquantibus, qui aëri expositi rumpebantur, verminosamque, qualem in caseis, ostendebant sobolem planè innumeram. Ita spe excidit suâ optima illa matrona, prolem vehementissimè desiderans.

*Harveus* etiam exercit. de partu p. m. 261. novit juvenculam, cujusdam Medici ipsi familiarissimi filiam, quæ gravida facta, symptomata omnia prægnantes comitari solita experiebatur; ea sana & vegeta, post decimam quartam septimanam foetus in utero sensit motum; tempusque partui debitum emensa, indiciaque jam imminenti partus adesse rata, cubile, incunabula, cæteraque ad partum necessaria in promptu habuit. Sed omnia frustra; Lucina enim abnuit, consueti motus cessarunt, ac, ut increverat, detumuit venter, absque ullâ ægritudine, nisi quòd infœcunda manserit. *Idem* novit aliam matronam nobilem, quæ plus decies enixa fuerat, quamque menstruorum suppressio citra imprægnationem nunquam fefellerat. Postea autem alteri nupta, præter alia signa solita ex motu quoque se gravidam judicabat, neque ab ea opinione dimoveri poterat: donec spes omnis in flatum & pinguedinem facesserat.

Flatus isti, cum autore *Kergero de ferment. f. 3. c. 3.* generentur ex vitiosa fermentatione prædominante acido p. n. in materia viscida calorem nativum obtundente, si ob turgescientiam expansi, impeditô excursu liberô, impetuosè per uteri poroeria rapiuntur, in parietes impingunt, & molestâ suâ tensione archeum insigniter irritant, ut sperma masculinum, evanescente contagiô spirituosô, retinere commodè nequeat, sed illud subito, interdum cum impetu, iterum rejiciat, sicque perniciosam sobolis concipiendi abolitionem fabricet.



*Humorosam* absolvunt humores naturaliter hùc affluentes, quorum duos solummodo offendimus: sanguinem scilicet & serum seu potiùs lympham. Hi succi vitales, absq; prava qualitate sola *quantitate* rarò peccare videntur, nisi in plethoricis, obesis & non menstruatís.

*Qualitate* autem delinquentes promptius suum conferunt symptom. Partes enim excrementitiæ, biliosæ, acidæ, pituitosæ, viscidæ, spissescentes, quando abundant in massa sanguinea, (obtusis blandis, balsamicis, òolis, Æcis, volatilibus) nec per emunctoria solita ritè secernuntur, spirituum lumen obtenebrant ac depauperant, lymphaticamq; cumulant fatuitatem. Hinc turbatâ ovulorum & ovariorum temperie laudabili, latitantes in ovulis ideæ, quibus non aliter ac semini vegetabili sua species, insculptæ, simul pereunt, ut postmodum, quamvis prolificò maris irrorentur imbre, è suis latebris evolvi & in actum produci nequeant.

Ad uteri verò litora per *ῥιζομασσωδὸν* devectæ, pituitosæ imprimis, viscidæ, salibus imbutæ peregrinis; vel domestico vitio ibidem per *συναθροισμὸν* collectæ, poros & glandulas laxant, lymphamq; in circulo suo turbant, quæ non amplius sub vitali archei imperio, peregrinam induens naturam stagnat, vappescit, cumulatur: unde resolutò matricis tonò & fermentò de statu naturali dejectò, impossibile est, ut archeus variis hisce perturbationum procellis agitatatus genituram amicè excipiat, foveat, foresq; ad ovulum maturum feliciter fœcundandum, expandat; quin potiùs illam diluat ac suffocet, aut si ovulum fortean imprægnatum advolvetur, radicatione denegatâ illud rejiciat atque exturbet.

*Deinde pravam organorum generationi dicatorum conformationem* ad hanc archei turbationem ac impeditionem facere, prolixiori non opus est demonstratione.

*Loca muliebria* p. n. coalita & arctè clausa. Vitium hoc, *sive* dependeat à membrana, *vel* peculiari crassa, *vel* ea, quæ hymen vocatur, & virginitatis signum creditur; *sive* à carunculis myrtiformibus, alis, labiisque inter se cohærentibus; *sive* à vulneribus, ulceribus, tumoribus; *sive* à totâ vaginâ ita coarctatâ, ut membrum admitti nequeat, ineptas ad sobolis procreationem efficere fœminas est manifestum, non obstantibus exemplis quibusdam rarò contingentibus & à *Riolan. lib. 2. anthrop. cap. 34. Moinichen observ. Barthol.*



*ibol. communicat. & Lyser. cultro anat. subnex. p. 202. P. de Sorbait Ephem. Germ. Ann. 3. observ. 272. de Blegny Zodiac. med. Gallic. ann. 1. mens. Novembr. observ. 6. consignatis.*

*V. gine brevitatem* ob dolores insignes, quos mulieribus, non modo in complexu, sed & post eundem excitat, sterilitati ansam præbere, ex historiâ *Hildani cent. 6. obs. 61.* adductâ à *Graafio tr. de viror. organ. p. m. 43.* constabit. Idem præstare illius solutionem continui ab ulceribus, fistulis, rhagadibus & occlusionem à calculo, *Forest. l. 28. obs. 52. Sennert. part. med. lib. 4. p. 1. sect. 1. cap. 9. & 10. Sorbait medicin. pract. tr. 5. cap. 49. Bonet. anat. pract. 3. s. 34. obs. 6. testantur.*

*Clitoridis prominentia major*, præcipuè talis, qualem describit *Platerus tom. 3. oper. med. c. 3. p. 98.* prohibere potest conceptionem, dum conjunctioni matrimoniali objicit impedimenta. Idem fecit ex crescentia carnea circa interius orificium adnata & extra cololum pendens, illudque exactè claudens, *ephem. German. dec. 1. ann. 2. observat. 208.* & natta ex foeminae pudendis prominens atque à *Clariff. Dn. D. Schubarto Medico Bregensi*, sectione feliciter extirpata, *l. c. an. 6. & 7. obs. 19.* Simile quid vid. apud *Zacut. Lusitan. prax. admirab. l. 3. obs. 78.* Huc quoque referuntur *fungi* circa uteri cervicem ex crescentes, *Tulp. l. 3. obs. med. cap. 33.* & *sarcomata* totam vaginam occupantia, forasque propendentia, de quibus vid. *Kerckring. spicileg. anatom. obs. 53. Bonet. l. c. s. 22. observ. 7.*

*Orificium internum* in situ vitiosò, tortuosò aut perversò, magnitudine & hiatu vel deficiente, vel exuperante, prolixis accusat verbis *Hippocrat. l. de nat. mulier. & l. de sterilib.* & hunc qui sequuntur *Valesc. de Tarant. l. 6. Philon. pharm. c. 16. Mercat. l. c. idem inculpat Arabs l. 3. fen 21. tr. 1. c. 8.* cum inquit: *ربما كان في فيه شيء ملب كالقضيبي يمنع دخول الذكر والمني او قروح*  
*Nonnunquam est in ore ejus (matricis) res dura vel constans, sicut virga que prohibet ingressum viri & spermatis, aut ulcus; quam versionem ex differtissimo, Celeberrimi Frischmuthii Patroni ac Præceptoris summè colendi, ore habeo. Cervix etiam interdum in causa est, si illegitimè confomata aut exulcerata, demonstrantibus idem abunde Hippocrat. Avicenn. aliisque.*



Nec uteri fundus abit immunis, vulneratus scilicet, aut exulceratus, cujus exemplum meminit *Harveus l. c. p. m. 275.* Item si parietibus aut nimis crassis, duris, scirrhosis circumdatus, *notante Hildano cent. 1. observ. 65. & 66.* vel si rarus, tenuis, instar spongiæ mollis, *quod Gemma lib. 1. cap. 6. cosmograph. observavit,* vel si loco naturali amotus, nimiumvé ob partus difficiles antegressos extensus. *Vasa & glandulae* liquores maternos stillantia sin obstructa, aut illorum pori & orificia mucore oblita, huc itidem spectant.

Quid, si uterus ipse penitus deficiat, quod *Columbo de re anat. lib. 15.* videre contigit; aut totus cartilagineus, quod *Riolano l. c. & Dn. D. Gnæfel. Ephem. Germ. ann. 4. & 5. observ. 57.* aut monstrosè efformatus, quod *Schenck. l. 4. observ. 311.* aut tuberibus carneis refertus, quod *Peyer. pareg. anat. 6.* aut tumoribus obsitus, quod *Hildan. l. c. Carol. Pison. de morb. à serof. colluv. f. 2. p. 2. c. 7. & Hucher. l. 2. de steril. p. 211.* aut lapidibus gravatus, quod *Schenck. l. c. obs. 331. B. Mæbio, fund. physiol. c. 20.* aliisque observare licuit, sentiendum, per se patet.

Porro accusari debet, vasorum spermaticorum obstructio & inde nata intumescencia; quam testatur *P. Barbett. libr. 4. anat. pract. cap. 2.* tubarum intertio & clausura à *Veslingio & Graafio* notata; ut & totalis harum defectus, quem haud ineptè *celeberr. Francisc. de la boe Sylvius prax. med. lib. 3. c. 3. §. 10.* ex eo suspicatur, quòd foeminae, omnibus modis sanæ, Venere gaudeant ac delectentur, fluxumque menstrualementem ordinariè experiantur, nihilo minus tamen nunquam concipiant, etiamsi utantur viri optimè constituti consuetudine. Magnitudo excedens, durities & callositas huc quoque pertinent. Vid. *Meeckren, obs. med. chirurg. p. 1. c. 52. Blegny l. c. mens. Januar. observ. 6.*

Neque Ovaria hic silentii sipariò sunt involvenda. Hæc enim *ſa Jovigè* à natura condita, & ex mollibus conflata vesiculis, ut ovorum generationi promptius inferviret structura, quando carnosiori aut compactiori obvelantur velamento, accedente nonnunquam, quod in obesioribus admodum familiare, pinguedine exuperante, suâ spe defraudant mulierculas prolis cupidas; Item quando majorem in molem p. n. augmentata, hydatidibus & peregrino humo-



humore turgida conspiciuntur, aut planè deficiunt. **Exempla** vide apud *Schenkiū, Vesaliū, Riolanū, Diemerbroeckium, Riveriū, Bonetū, Columbū, Meeckren, & alios.*

*Ova* ipsa crassioribus cincta tunicis, fœcundam feminis profici impressionem respuunt, nec vitalem recipiunt characterem; putrescunt potiùs ex mente *Garmanni dissert. de ovo human. §. 38.* in ovario, aut in uterum delata in molas degenerant carnosas, aut insensibili eliminantur abortu.

*Corpus* denique glandosum circa ovulum imprægnatum emergere solitum flaccescens, ut hoc à fibrillis liberare & ex claustris propellere nequeat, sterilitati vias pandere potest facillimas.

Explicatâ hactenus uteri constitutione p. n. *ratione sui*, restat, ut illam paucis adhuc perpendamus *ratione mensium*. Hos ad generationem humanam summè esse necessarios, tam manifestum est in forô medicô & passim adnotatum, ut religioni mihi ducam, asserti adducere testimonia.

Fœminæ enim lunari hâc depletione carentes, illamque (effato *Excell. Dn. D. Wedelii, Patroni, Præceptoris ac studiorum promotoris ætatem devenerandi, Theorem. med. part. 2. sect. 5. theor. 20.*) nec ante coitum, nec in coitu experientes, nunquam ferè vivunt sanitatem inculpatam, quin ut plurimum laborant sterilitate, & optatò conceptionis fructu, quem flos ille purpureus aliàs polliceri assolet, rarissimè perfruuntur. Et quanquam fluor iste muliebris, docente *Dn. D. Schræckio in schol. observ. 41. ann. 1. decur. 2. ephem. germ. addito*, ad conceptum nullatenus requiratur, folius utpote sanguinis evacuandi gratia institutus: neque exempla desint mulierum, quæ menstruaalem evacuationem nec ante, nec in, nec post partum perpassæ, nihilominus tamen liberorum matres feliciter extiterunt, *evol. præter laudatam observ. Guainer. de ægritud. matric. cap. 2. Brassavol. ad aphor. 36. §. 5. Rondelet. meth. cur. morb. c. 24. Trincauell. l. 10. de arte cur. part. corp. human. affect. cap. 9. Hildan. cent. 5. obs. 41. Marc. Donat. l. 4. hist. med. adm. c. 23. Job. Rhod. cent. 3. obs. 54. Ephem. Germ. dec. 1. ann. 3. obs. 132. & ann. 6. & 7. obs. 64.* rarissimum tamen hoc est in homine, & non nisi in brutis naturale.

*Immodicus mensium effluxus*, quando continuò, aut longiore, quàm



quàm par est, tempore durat, infœcundum reddit conjugium, genituram eluendo, aut ovum, spiritu plasticô irradiatum, inundando: unde cùm radices agere in utero non valet, per vias patentes & lubricas, partu frustratô, exitum statim affectat. Exemplorum ex autoribus adducendorum copiosâ serie chartam prolongare, esset Athenas portare noctuas.

De *mensibus qualitate peccantibus*, quid statuendum, ex antea allatis elucescit. Venenosa illorum qualitas, quam veterum plurimi, & ex recentioribus nonnulli, firmiter sibi persuasam habent, non est metuenda. Vid. *Sennert. l.c. cap. 1. quæst. 2. Exc. D. D. Wedel. physiol. med. s. 3. c. 19.*

Cæterum huc spectant, quæ de generatione elegantissimè *Huart. scrutin. ingen. c. 18. & 20.* declarat, quæ foemina c. quo viro conjungi per nuptias debeat, ut ex eo concipere possit. Hæc sanè observasse plurimum refert. Nisi enim justa harmonia spirituum & conveniens proportio inter agens & patiens, virum & foeminam, adsit, & nisi teste *Hippocr. de nat. homin.* calidum cum frigido, siccum cum humido, moderatè & æqualiter inter se respondeant, sed alterum altero, & valentius imbecilliore longè excellat, nulla generatio futura est. Unde plurima exempla, *Arist. 2. de gener. anim.* assertum: *multis sanè mulieribus & viris evenit, ut qui conjuncti inter se procreare nequeant; ubi dissociati se junxere cum aliis, queant, toto die comprobant. vid. Huart. l. c. Præcis de arcend. steril. p. 122. Fortun. Fidel. de relat. medic. l. 3. c. 7.*

## CAPUT V.

*causas mediatas remotiores, supernaturales & naturales recenset.*

**I**N SUPERNATURALI determinandâ jure merito DEUM, ut supremum conjugii autorem, agnoscere debemus; eidem sobolis generationem numerosam, ceu singulare donum, adscribendum esse, sacra



sacræ dictitant paginæ, *Psalms. 127. v. 3.* Per inscrutabilem enim suam sapientiam in tenebris primæ vitæ nostræ ponit primordia, illiusque benedictione omnia fiunt, generantur & nascuntur quàm felicissimè.

Ita *Sara* filium suum ex promissione divinâ concepit *Genes. 18. v. 10.* *Rebecca* diù sterilis, intercedente marito apud Dominum precibus, genuit *Esavum* & *Jacobum*, *Gen. 28.* & *Hanna*, *Elkanæ* uxor, *Samuelem*, ac *Elisabetha* annosa *Johannem* suscepit assidiis suspiriis. Deo itaque propitiô uxor est sicut vitis fructifera, & filii ut plantæ circa mensam: iratô verò, uteri sunt steriles & ubera flaccida, quæ cominatur apud *Hoseam c. 9.* præter institutum concubitu se contaminantibus, aut alio scelere sese polluentibus; Quod exemplo *Abimelechi*, *Gen. 20. v. 18.* *Michal 2. Samuel. 6. v. 23.* aliorumque patet.

Haud rarò ex permissione divinâ veneficia, Dæmonum, malè feriatorumque hominum ope producta, sterilitatem inducere valent. Testimonia ac exempla suggerit *del Rio disquisit. magic. libr. 3. p. 1. quest. 5. s. 8.* & *Bodinus* ultra 50. numerat modos ligandi tam foeminas, quàm viros *de mag. Dem. l. 2. cap. 1.* ex quibus non ultimum tenet locum, odium inter conjuges excitatum, cujus notatu dignum reperies exemplum apud *Codronch. l. 3. de morb. venef. c. 6.* in uxore quadam oppidi *Sepini*, *Neapolitanæ* ditioni subjecti, quæ maritum tantò prosequatur odiò per sagas excitatò, ut à primò matrimonii die nunquam cohabitare potuerit, & cum maritus ad uxorem accedere volebat, hæc tantò furore, tantâque rabie erat percita, ut per fenestras se præcipitem dare mallet, quàm illius consortium admittere.

Inter CAUSAS NATURALES excellit *temperamentum humidum & frigidum*, disponens ut plurimum foeminas ad infœcunditatem; quod vel exinde patescit, quia statum caloris nativi justò minorem manifestat, qui, dum particulæ oleosæ volatiles  $\text{Ææ}$ , sub serosarum sunt dominio, adeoque hæc excedentes illas superant; item dum *lympha* mitis à blandâ suâ remittit dulcedine, atque adulterâ factâ salinis, acidis, viscidis contaminatur atomis, non solùm in toto corpore sese exerit, sed etiam circa uteri confinia erroris sui vestigia relinquens fores affectui facilè aperire potest.

*Habitus*



*Habitus corporis* in nimiam excrescens molem sterilitati obnoxias reddit mulieres. Indicat hoc ipsum *Aetius tetr. 4. f. 4. cap. 26.* adferens: *hoc veluti maximum negligendum non est. Nec viri, nec mulieres pinguem acquirant habitum. Tales enim inepti sunt ad pueros gignendos; nam nec pudenda inter se coaptare possunt, & viri parum seminis emittunt, & mulieribus pauci feruntur menses, cum maxima pars alimenti transeat in pinguedinem.* Magis perspicui sunt *Hæfer. in Hercul. med. l. 7. c. 1. & Sebitz. l. 5. de aliment. facult. q. 7.* quando liquoris feminalis & pinguedinis eandem esse materiam docent, quam lymphæ partes roscidæ, osæ, balsamicæ volatiles absolvunt. Hæ partes si ex sententiâ *Nebem. Grevv*, quam *discurs. de mixtion. f. 5. exempl. 2. Ann. 9. & 10. Ephem. German. adnexo* proponit, vel ab atomis propriis salinis seu acidis, vel à nitrosis aëris particulis cum iisdem mixtis, coagantur, & per ductus adiposos, à *Malpigh. epist. anat. de oment. & pingved.* descriptos, ad receptacula convenientia seu sacculos amendantur, certè aliter fieri non potest, quin corpus obesitate exuperante nimiam in molem, augeatur, spiritus langueant, illorumque lumen hóc in opere obfussetur; partium præterea generationi destinatarum, pori & meatus comprimantur, ut aura feminalis, à mare suppeditata, ritè sese explicare, desideratumque portum appellere vix queat. Id quod *Cous* plurimis in locis sæpiùs jam adductis etiam innuit.

De *macilenta corporis dispositione*, quam modo citat. *Senex l. de steril.* itidem facit suspectam, certa quædam determinare non audemus, obstantibus exemplis ac rationibus in contrarium abeuntibus.

*Ætatem* summè teneram & extremè senilem hic excludi debere, *cap. 2.* indicavimus; juvenilem verò & consistentem, infœcundam esse constat. Ex hóc enim tempore plerumque hoc vexantur incommodò, quando nempe, ut cum *B. Mæbio* loquamur, spiritus genitalis sese exerere incipit, & quando ad concipiendum pariendumve habilis est sequior sexus.



## CAPUT VI.

*causas non-naturales examinat.*

**N**aturales causas excipiunt NON-NATURALES, quæ ad producendam infœcunditatem admodum idoneæ; inter quas primùm se sistit

AER, cujus in alterandis corporibus maxima vis, adeò, ut *Hippocr. l. de flat.* morbos vix aliundè, quàm ab eodem oriri, affirmare non dubitaverit. Hic enim frigore excedens & humiditate, excessus sui notam visceribus ac organis generationi inservientibus, non modò imprimit, sed & M. S. humoribus vitiosis replet & spiritus consopiendo archeum ita ignavum reddit, ut præter alios errores etiam ova cudat inutili abundantia serositate, ad fœcundationem minimè idonea. *Aër nebulosus, crassus, impurus*, non parùm confert; item *venti australes*, qui peculiari & specificò miasmate sexui sequiori maximè infensò, archeum vitæ præsidem, in varias perturbationum procellas agitare, & epidemias excitare possunt infœcunditates teste *Philos. 7. polit. cap. 16.* quales etiam referente *Clem. Alexandr. Strom. lib. 6.* observavit Empedocles in Agrigentinarum fœminis, quas, venti aditu præclusò, iterum fœcundas effecit.

*Regioni* hoc in passu quid tribuendum docet iterum *Hippocr. l. de loc. aër. & aq.* in gente Scythicâ, quæ ob cœli inclementiam maximè infœcunda, & ad gratissimas voluptatis illecebras admodum deses, modò planè contrariò præ incolis, meridionales regiones inhabitantibus. De his enim rerum Indicarum scriptores produnt, quòd ob loci caliditatem vehementissimâ Veneris appetentiâ æstuent, adeò, ut rarissimè duodecimum ætatis annum expectent fœmellæ, priusquam maribus corporis sui potestatem faciant. Hinc, quod *Herodotus l. 2. de Ægyptiorum mulieribus*, tam efferatâ libidine fluentibus, ut se non temperent à coitu cum brutis, olim retulit, id *Garzias ab Horto lib. 1. arom. & simpl. medicam. apud Ind. nascent. s. 24. Costa l. arom. p. m, 288. Mandelslo Itiner. Ind. l. 2. c. 7. de Indorum*



dorum foeminis hodiè affirmant, præsertim de Lusitanis in Goâ, civitate opulentissimâ, degentibus. Harum siquidem mens struendis infidiis veneris, & continuandis amoribus illicitis adeo dedita, ut nullâ metus, nullâ reverentiæ lege coërcibilis sit. Quandoquidem technas suas herbæ cujusdam adminiculo, quæ Dutroa seu Datura vocatur & à *Tb. Barthol. cent. 6. hist. 77.* & à *Fabro strychnom. p. 30.* solani speciebus adnumeratur, perficiunt, dum, ut securè procos in nefandæ Veneris palæstram evocare, maritisque etiam præsentibus imponere possint, succum ex recenti plantâ & semine expressum, vel siccata semina in pulverem redacta cum condimentis, cibò & potu, illis ignaris, propinant. Quibus assumtis varia experiuntur boni viri, Corneliorum familiæ jamjam adscribendi, vel enim somno corripiuntur profundo, vel mentis incurrunt alienationem, ut apertis oculis, nequitiam & turpitudinem inspicientes propriam se ipsos deludant, durante ejusmodi perturbatione ad XXIV. horas. Hæc dum geruntur, impudicæ adulteris suis impunè sese offerunt, & prostitutò geniali thorò omnem explent libidinem, donec ubi Veneri impuræ satis indultum, pedum lotionem, vel fortiori frictionem, vir omnium rerum, etiam modo visarum nescius, quasi ex somno meridiano iterum expergiscitur.

*Astrologi* singulares siderum configurationes & aspectus producant, ex quibus sterilitatem derivant, nempe ♀ læsam à ☿, imprimis si ☽ simul lædatur & ♃ eam non adspiciat, vid. de his *Origan. t. 1. part. 3. c. 3.*

Post aërem nominanda inter causas non naturales venit INORDINATA VICTUS RATIO, cum cibus & potus non ad tollendam, sed irritandam famem & sitim adsumuntur. *Ratione cibi* excessus committitur, quando ille ingeritur in *quantitate* nimia. Multos morbos multa fecerunt fercula, inquiebat *Seneca epist. 95.* neque id absque veritate! Sicuti enim magnâ lignorum strue appositâ ignis extinguitur, ita multâ ciborum congerie, ventriculi tonus & fermenti activitas debilitatur, cruditates in corpore cumulantur, quæ tum ad nostrum, tum ad alios affectus producendos non ineptæ: *Qualitate* peccant alimenta nimis refrigerantia, humores crudos & viscidos



Acidos suggerentia, qualia sunt lacticinia, pultacea, leguminosa & hujus comatis alia, quæ minus laudabilem præbent sanguinem. Idem faciunt fructus horarii, oleracea, pinguia minus correcta & contra sanitatis regulam devorata. *Dulcia* quòd naturam confortent, maximoperè extolluntur à mulierculis nonnullis; hinc toto die ingeruntur saccharata; sed quamvis vires augere videantur, succum tamen substantificum non exhibent, bilem potiùs augent, eamque lutulentam, viscidamque reddendo ad obstructions facilè disponunt.

Modò haud dispari comparatum est cum *potu*. Hic liberè haustus efficax existimatur, præcipuè *aqua frigida* & *palustris* immodicè ingurgitata Autore *Philos. l. 3. & 4. de gen. animal.* Ventriculò enim eadem refrigeratò, *δυσπεψία* enascitur, succi inutiles generantur, cacochymiam facilimè inducentes. *Cerevisia feculenta*, crudæ, lupulò minus conditæ idem adscribendum venit. Potulentorum generosiorum ingurgitationem, eamque insequentem *ebrietatem*, quæ mulierculis nonnunquam non infreqvens, inculpat *Hippocrat. lib. de aër. aq. & loc. & Galen. l. 11. de usu part. c. 10.*

*Άταξία καὶ ἀνάσπεια* propter strenuam cruditatum accumulacionem ex interruptâ coctione primâ summè noxiâ, nec in secundâ & tertiâ emendabili, quid possint, explicacione non indiget. In tempore non venire ubique molestum. Pertinent hùc *medicamenta*, quæ peculiari virtute sterilitatem inducere dicuntur, ubi ex *Vegetabilium regnò* famosa sunt: ruta, mentha, agnus castus, sabina, cicuta, filix, lingua cervina & omnia ferè splenetica, si *Eresio hist. plantar. lib. 9. cap. 22.* habenda fides, qui tamen experientiam non habet suffragantem. *Opium*, de quo *Renodeus lib. 1. sect. 10. de mat. med. cap. 2.* prodit, quòd libidinis cæstrum potentius coërceat, atque carnis motus ignavos reddat, à *Garzia l. c.* cui nec *Willis pharm. rat. diatr. 1. f. 7. c. 2.* contrarius videtur, huc etiam refertur; quamvis *Verulamius hist. vit. & mort. p. 526.* manifestò Venerem excitare affirmet, adstipulantibus *Cardano, Scaligero, Monarde, Saurio, Mandelslo aliisq;* rerum Indicarum scriptoribus. Gordium hunc nodum solutum vid. *post. D. D. Sachs. observ. 69. An. 2. Ephem. Germ. dec. 1. p. m. 126. in Excell. VVedel. Opiol. l. 2. f. 2. c. 7.* *Camphora*, quæ apud Veteres maximè suspecta, metuenda non est, nisi



usu frequentiori peccetur, ubi ob partes  $\Delta$ reas, subtiles, purissimas, sali volatili remixtas, fortiter penetrando, similes in sanguine obvias dissipando imbibendoque refrigerat quadantenus; sive, ut *Helmontius potest. med. §. 4.* explicat, archeum subigit aut fugat, Veneremque infringit. *Ex regno minerali* accusantur *sapphirus, gagate, smaragdus* tempore cohabitationis gestati; de quibus fides esto penes Autores: It. *auripigmentum, calx viva* utero imposita, &c. *Nimius Sal. usus*, sed contra experientiam, à nonnullis etiam inculpatur. *Ex regno animali, caro turturum, animalium castratorum, serpentes, gallorum intestina* in cinerem redacta, &c. *Stricta vestimenta* & Gallicò illò, quod vocant *planchette*, armata, quibus se graciles & agiles reddere nituntur delicatulae mulieres cum insigni valetudinis dispendio, suum etiam huc conferunt symbolum. *vid. Franc. satyr. med. de planchett.*

SOMNUS ET VIGILIAE etiam si ad conceptionem parum facere videantur, attamen mediocritatis terminos si transcendant, nocent. *Ille* immoderatus diutius retinet excrementa, quae retenta corpus adgravant, calorem nativum infringunt, & obnubilatò spirituum lumine torporem ac pigritiem inducunt: praevalentibus autem *vigiliis*, spiritus dissipantur, consumuntur, unde insignis corporis debilitas. Quapropter *Huartus scrutin. ingen. c. 5.* haud frustra dixit, quod is, qui somnò se privet, necessum habeat, ut plurimis afficiatur morbis

MOTUS & QUIES attentionem quoque merentur. *Motus corporis* nisi excedat, neque incommodò instituat tempore, sanguinis ventilationem promovet, fuligines expellendo illud repurgat, & leni diaphoresi crassos & lentos humores discutit: quod è contrario flaccidum reddit *quies*, & excrementa cumulando ad plurima incommoda disponit. Hinc delicatiores, vitam sedentariam & otiosam ducentes pluribus iisque vehementioribus morborum insultibus, adeoque conceptus interceptioni, saepius expositas videbis, praè aliis vilioris conditionis mulierculis, quae sanitate fruuntur liberiore eaque magis constanti, unde & numerosiori beantur sobole, labore ac motu firmante harum corpora. *Immodicæ* vicissim exercitationes, spiritibus exhaustis & enervatis, artus de-

lassant,



lassant, & totum corpus debilitant, quod efficiunt exercitia virilia, equitationes, saltus, venationes, lucta &c. Inde Magnatum conjuges, ejusmodi exercitiis deditæ, minus fœcundæ creduntur, quod Hippocr. de Scythis olim etiam perhibuit *loc. cit.*

EXCRETA & RETENTA legitimè sibi non respondentia varias in fabricâ muliebri dare solent turbas. Natura enim cùm gaudeat emunctoriis pro excernendis superfluitatibus, si excrementa, serosa imprimis, nec per cutis poros insensibili transpiratione evaporent, nec per urinam, nec per alia loca particularia evacuentur, aliorsum sibi viam quærere coguntur, atque ad uterum, commune aliàs impuritatum in sexu viliori receptaculum, saburrâ depositâ, arvum genitale à constitutione naturali, facilimè avertitur ac sine fruge relinquitur. *Evacuationem lunarem terminos transgredientem fœcunditatis hostem fieri ex cap. 4. patet.* Idem adscribendum dicit *Bened. Sylvat. c. 4. obs. 64. hæmorrhoidibus diutius fluentibus. Fongticulum* diu apertum sterilitati patrocinari tradunt nonnulli, sed citra rationem & experientiam.

Quæ cum *Messalina*, portentosæ libidinis fœminâ,

*Quæ resupina jacens multorum absorbuit ictus*

*& lassata viris, nec dum satiata recessit,*

certainen ineunt in Veneris palæstrâ aut tardius eandem ingrediuntur, viam ad conceptionis abolitionem sibi pandunt facilem. *Illud* prostibula in tabernis meritoriis, vulgatô corpore, quæstiuncula venari solita; *hoc* serum ineuntes conjugium probant. Abstinencia enim & actus venerei longior intermissio in humidis & optimè constitutis corporibus varios gignit morbos, præsertim inflammationes periculosas, ait *Verulamius sylv. sylvar. cent. 7. p. m. 893.* plura de his *vid. apud Conring. de hab. German. causis. p. 43. Jason. à Pratis de uter. l. 1. c. 8. Sennert. l. c.*

ANIMI PATHEMATA, quæ sexum sequiorem valdopere exercere assolent, suâ non vacant culpâ, etiam quoad hunc affectum. Potissimum autem mœrore, terrore, aliisque tristibus animi affectibus emaciata, occasionalem infœcunditatis præbent causam, spiritus de statione suâ pellendo, flammulam vitalem suffocando sanguinisq; crasin invertendo. Ita mœrore & pavore subitaneô quasdam steriles



factas observavit *Sinibald. l. 6. Geneanthrop. tract. 2. cap. 2.* De irâ, odio & Zelotypiâ idem pronunciandum esse, quotidiana testatur experientia. Hinc iracundæ, & odio nimis indulgentes vel absque fœcundis matrimonii deliciis vitam transigunt, vel immaturos fructus citiùs dimittunt. Fœcunda Clinopale sedatos poscit animos & compositos, inimicâque adversatur oscula. Invitos amores steriles esse, desideratos verò dulces dixit *Aetius lib. ult. de odio c. 29.* Nec effusum gaudium culpâ vacare videtur omni, cum propter spirituum jacturam & effusionem periculum minitetur virtuti prolificæ. Omnium autem maximè inculpanda *tristitia* ob suppressam flammulam vitalem & spirituum algorem. *Venus* enim læta diligens, jucundos & amicos efflagitat amplexus, à tristibus præcipuè curis alienos. Hæc enim juxta Poëtam,

*non solet in mæstos læta venire toros,*

neque etiam fœminam, cohabitationis tempore plorantem, fœcundare, nec gemebundam prolis reddere vult participem. Asserti patronum nominamus *Mercurial. lib. 11. de morb. mulier. c. 2.*

## C A P U T VII

### *causas adducit præternaturales.*

EX CAUSIS PRÆTERNATURALIBUS, quæ cum reliquis ita compositæ, ut una alterius sit fomes & incitamentum, attendi debent, corporis totius *cacochymia* eamque insequens *cachexia*, quam sæpè sterilitatem comitari testantur practicoꝝ monumenta. *Uteri* item *dyscrasia*, *intemperies*, *fluor albus*, *uteri procidentia*: In maritatis, *partus difficiles*, *abortus frequentes*, *improvida secundinarum avulsio*, *partium genitalium refrigeratio*, *aliæq;* dispositiones morbosæ.

Huc spectat *uteri & ovariorum resectio*, cujus exemplum suggerit *Nob. D. D. Volckamer. Ephemer. German. dec. 1. ann. 6. & 7. observ. 72.* seu castratio, quæ olim apud gentes quasdam fuit familiaris,



liaris, veluti ex *Alciat. in l. spadon. ff. de verb. sign. § lib. 4. antiq. lect. cap. 10.* adducit *Kornemann. de virginit. jur. c. 16. Schenck. l. 4. observ. 326. Wierus de prestig. Daemon. lib. 4. cap. 20.*

*Molam* sæpè uterum infestare, ut immodicum sanguinis profluvium sterilitas interdum subsequatur, scribit *Mercat. l. c. c. 3.* Ex *strangulatione uterinâ* eundem provenire autor est *Hippocr. l. 2. de morb. mul.* Sic etiam ἀφορησι fiunt, quando αἱ μήτρας πρὸς τὸ ἰσχυρὸν ἐκασθῆωσι, uteri ad *coxendicem eminent*, juxta eund. *lib. de nat. muliebr. sect. 5. p. m. 128.* Idem accidit ex morbis acutis & chronicis viscera naturalia debilitantibus, coctionum leges invertentibus, quales sunt *febres* omnis generis, *hydrops*, *paralysis*, *dyscrasia viscerum*, sive sint *nativæ*, sive aliunde prognatæ, *Variola Gallicana*, *elephantiasis*, *Phthisis* &c.

Trahendi quoque in hunc censum veniunt *morbi conformationis*; de quibus, cum *cap. 4.* satis prolixi fuerimus, crambem bis coctam apponere nolumus.

*Omentum* p. n. pingve & os uteri comprimens inculpat, ut mihi videtur, absque culpâ *Hippocr. 5. aphor. 46.* durum aliud, crassum & lapideum *Panarol. pent. 3. obs. 10.*

Uteri *inflammatio*, *cancer*, *œdema*, *erysipelas*; de quorum diagnosi & curatione admodum prolixus est *Vidus Vidius tom. 5. oper. pract. lib. 11. cap. 15. & 19.* Huc etiam faciunt, ut & ejusdem & tubarum *hydrops*. vid. *Tulp. lib. 4. observ. med. cap. 45. de Blegny l. c. An. 1. Mens. Jun. observ. 9.*

## CAPUT VIII *differentias evolvit.*

**A**bsolutâ causarum serie, differentiæ, quæ & ad prognosin, & ad curationem planam ostendunt viam, methodo receptâ nunc veniunt explicandæ. Ast, cum plurimæ, eas solummodò enumerabimus, quæ desumuntur vel à genere, vel à subjecto, vel *causis* aliisque circumstantiis.

A genere desumptâ differentiâ, sterilitas *alia* est *nativa*, & à primis incunabilis *congenita*; *alia* *adscititia*, quæ post ortum temporis



poris successu ab errore plerumque externo nascitur. Sic *aliæ* steriles sunt absolutè & simpliciter, quæ nunquam concipere possunt, etiamsi hujus vel illius viri utantur consuetudine; *aliæ* comparativè, & respectu ad maritum, ita, ut in primo conjugio steriles, in altero, alii junctæ viro facilè imprægnentur: *aliæ* tantùm ad tempus, ob affectum quendam uterinum, quò curatò concipiunt: *aliæ* pepererunt quidem, postea ob vitium in puerperio contractum nullam ulterius enituntur sobolem.

*Alia* sterilitas quoque est manifesta, cujus causa evidens & cujus facilè reddi possunt rationes: *alia* occulta, quæ à supremo Numine, interdum ab incantatione, dæmonumque præstigiis originem deducit.

*Ratione subjecti*, *alia* est universalis, à totius corporis intemperie & morbosâ dispositione exorta: *alia* particularis, à parte quadam malè affectâ proveniens: *alia* ἰδιοπαθική, quando vitium organis, generationi inservientibus inhæret, *alia* συμπαθική, quando aliundè communicatur.

*Causarum ratione*, tot numerantur differentiæ, quod causæ à rebus supernaturalibus naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus peti potuerunt.

## CAP. IX.

### *signa eruit diagnostica.*

**H**Actenus causas & differentias recensuimus, nunc etiam ad signorum fontes progredimur. Ὁρθῆς θεραπεύσεως πηδάλιον ἔστιν ἡ διάγνωσις. *Internotio rectæ curationis fundamentum est*, inquit *Trallianus lib. 9. c. 1.* Hæc verò cognitio absq; signis certis nulla est. In quantum enim dignoscenda morbi præsentia de signis nobis constiterit, tantum in curatione feliciter absolvenda obtinebimus. Et quamvis symptoma hocce in se consideratum spontè pateat, nec pluribus indigeat signis distinctivis, è re tamen fore arbitramur, ordine suò eadem perpendere, quæ sunt vel *diagnostica*, vel *prognostica*.

De *diagnostici* in antecessum monendum, quod experimenta quædam instituantur à quibusdam, ut scilicet patefiat, *utrum viri, an fæmina*



*mina culpâ sobolis generatio sufflaminetur?* Si utriusq; semina, (verba sunt *Mercati* ex *Avicenna* & *Rhase* *l. sæpè cit.*) projiciantur in aquam, quod supernataverit, sterile judicetur. Sed cum hæc seminis probandi ratio impia, homine Christiano indigna, neque veritati congrua, meritò ut turpis & falsissima exploditur. Simili modo nec ex reliquis experimentis ibidem recitatis certi quidquam hariolari possumus, quare ceu irrita, inania & ab honestate remota jure rejicit *Sennertus loc. alleg.*

Certiora, imò *tutiora* sunt signa, si inquiretur, num causa infœcunditatis resideat in viro? quod ex iis, quæ aliàs Autores de impotentia virili producunt, facilè dispalescit; nempè si in viro nihil vitii deprehendatur, illud in fœminam rejiciendum.

Hinc *ratione generis* sterilitatem indicant, *color faciei pallidus*, *propensio in somnum*, *sedati animi gestus*, quando nullus planè, aut exiguus adest *Veneris appetitus*, quando ante & in *caitu nullam* percipiunt voluptatem. Certissimum exhibet signum & infallibile, quando mulier secundâ & tertiâ vice, cum viris diversarum complexionum matrimonium inierit, ex nullo tamen imprægnata fuerit.

*Subjecti ratione*, partium affectarum signa ex functionibus earum variè læsis patefiunt. Sic uterus & ovaria hęc malò affecta, intemperies æque totius ac partium manifestat. Vaginæ aliarumq; partium externarum læsionem ægræ relatio & circumstantiarum consideratio sedula patefacit. Organa genitalia *per essentiam* laborare indicatur, si nullus in diætâ vel aliis rebus non-naturalibus commissus error; *per consensum* verò, si *aliarum* partium dispositio prava præcesserit, vel *totius* corporis malè affecti indicia sese exhibuerint.

*Causarum* diagnosi est abundans, prout ipsæ causæ sunt parentes.

## C A P U T X.

### *prognosin instituit.*

DE morbi eventu dicturis spectandæ sunt triplices prædictiones, quæ sicuti in quolibet, ita & in præsentî in eò versantur, ut 1.

E

even-



eventum morbi 2. durationem 3. modum eventus determinent.

(1). *Eventum, quoad salutem & mortem, quod spectat, mortis periculum quidem non minatur malum; cum tamen individuo & speciei detrimenta afferat haud indemnium, nec salutare, nec lethale verè pronunciari poterit. Est enim sterilitas matrimoniorum perturbatrix, maximas conjugibus creans molestias, potissimum mulierculis, quas præ fœcundis magis morbosas, tardiusque his senescere, non sine ratione & experientiâ dixit Avicenna loc. cit.*

De futurò eventu: *an curabilis sit affectus hicce?* ex causis antecedentibus optimè dignoscitur. Infœcunditas ab ortu contracta parum salutis pollicetur, si *Arist. l. 2. de gen. animal.* fides facienda. Quapropter eam in genere à solo Deo curari posse asserit *Avenzoar 2. th. tr. 5. cap. 1.* quod tamen absolutè non concedit *Mercurialis l. c.* quandoquidem potenti adjutus medicamine archeus sæpè vincit morbum, fœtumque dat feliciter. Nam *si ægra ætate gaudeat vegeta & ab erroribus naturæ non adeò magnis oriatur sterilitas; si à cacochymia; si à mensibus delinquentibus, aut vitiò aliò uteri non enormi, spes affulget tutæ & jucundæ curationis.*

*Si verò nativa, vel in habitum quasi degenerata uteri dispositio p. n. aut alius morbus incurabilis præcesserit, omnis spes inanis, & incurabilem relinquit affectum. Morbi conformationis in numero deficiente, aut alii graviores, parum spondent salutaris restitutionis. Huc pertinet illud Hippocraticum lib. 2. prognost. Sterilitas ex ulceribus difficulter curatur. Imò etiam si curentur ulcera, propter cicatrices ibidem relictas steriles erunt fœminæ, lib. 1. de morb. mulier. Si à fascino proveniat, difficilis est curatio, sed non impossibilis, ad stipulante Nobiliss. Dn. D. Wedelio l. 2. de medic. facult. sect. 2. cap. 13. & part. 2. theorem. med. sect. 5. th. 18.* Sedulò igitur prospiciendum, num curari possit affectus nec ne, ne generosis remediis frustra adhibitis, famæ & existimationi suæ malè consulat Medicus. Cum autem ejusmodi sterilitas cognitu admodum difficilis ad empirica, incerta, sæpe ridicula & superstitiosa confugiunt experimenta, quæ ex doctoribus suis haurienda. *Hippocr. 5. aphor. 59.*

experi



experimentum, an infœcunda curari possit, fieri jubet suffitu per inferiora exceptô, quod amplectitur *Lotichius observ. med. lib. 5. cap. 1. obs. 13.* viam & modum monstrante *Lindenio phys. med. cap. 6. art. 8.* Huic *Cardanus* tantam tribuit fidem, ut etiam virginibus adhiberi suadeat, priusquam marito tradantur. Omnimodam certitudinem experimento inesse vix credimus; siquidem Autore *Riverio lib. 15. prax. c. 15.* à Medicis interdum hoc cum aliis ejusdem comatis, in usum vocari solet in gratiam Principum & Magnatum, quibus sterilitatis causa facere licet divortium. Virgines, ait *D. Dieteric. in Jatroeo*, in se quidvis aliud potius admitti patientur, quàm odoratum hoc infundibulum.

(2.) *Duratio* ex sterilitatis natura desumitur, cujus ratione morbis chronicis adnumeratur, qui longum postulant curationis tempus. Patientia hîc opus. Natura enim sui juris ad humanas rarò componitur leges, modò properat, modò lentas necit moras. Non semper festinat fœcunditas, aliquando dilatata pleniores parit fructus, *inquit B. Rolfincius.* Causæ quò altiores egerunt radices, & quò major à statu naturali recessus, eò diutiùs retardant restitutionem, majoremque insumunt medicaminum apparatus. *Experientiæ tamen suffragiô constat intra aliquot mensium decursum, sublatis causis, alacriter affectas Veneri litasse feliciterq; concepisse.*

(3.) *Eventus modus ad salutem* fit, cùm archeus auxilium adeptus per medicamenta, corpus ab humoribus vitiosis, aliisq; impuritatibus liberat, illos discutit, per varia secretoria quovis modo evacuat, depletionem lunarem in ordinem redigit, M. S. & partibus genitalibus vigore naturali restitutô. Si verò corpus senile, cachexiâ inveteratâ, aliôque morbô graviore diu vexatum offeratur; si sterilitas congenita, aut aliô errore organicô insigni orta, tùm sanè nullus sperandus salutaris eventus, omnis sobolem pariendi spes concidit & collabascit.



## CAPUT XI.

*ad curationem facit accessum.*

**E**Xplicatâ hæcenus felicibus auspiciis morbi naturâ cum suis causis, differentiis & signis, curationem nunc facilius adgredimur, observatis indicationibus, usitatis ex fontibus depromendis.

**INDICATIO CURATORIA** tota in eò erit occupata, ut humores peccantes quilibet in corpore & sanguine corrigantur, eliminentur, obstructions & conformationis vitia, si quæ in organis generationi velificantibus occurrant, quantum possibile, tollantur, & ad constitutionem naturalem reducantur, peculiare partium, imprimis uteri, affectus amoveantur, ac ipse archeus confortetur, corroboratò corporis vigore specificis & analepticis.

**PRESERVATORIA** removendis causis invigilat, & ne ad mali propagationem ulterius concurrant, sedulò prospicit. Hisce enim nisi obviam eatur, frustra erit omnis curatio. Novâ quippe materiâ iterum collectâ, symptoma continuo capit incrementa, nec Medicus unquam speratum obrinet finem.

**VITALIS**, vires tam totius, quam partium genitalium respicit, alimentis optimè nutrientibus & medicamentis aphrodisiacis in tempore reficiendum, ac per alia appropriata succurrendum præcipit. Hisce indicationibus ut satisfiat, Medicus selectò auxiliorum adparatu, extriplici gazophylaciò desumendò instructus esse debet, aliàs similis est levis armaturæ militi, qui referente *Alexandr. ab Alexandr. l. 2. genial. dier. cap. 13.* rudibus & parum nitidis armis, vel strigiosiori equo & macie confectò utebatur, ad impetus hosti faciendos minus idoneis.

## CAPUT XII.

*fontem aperit chirurgicum.*

**C**Hirurgia varia eaque diversa subministrat præsidia & auxilia, è quorum numero affectui nostro conducibilia proferemus. Inter illa prima tenet subsellia generosum & vitæ humanæ maximè proficuum



euum & sæpè præsentaneum auxiliū, *Vena sectio*. Hæc quamvis ob intemperiem frigidam & humidam, quæ in plurimis venit corrigenda, parum emolumenti afferre videatur; causarum tamen & circumstantiarum ratione sæpè locum invenit. Nam, si ex tributi lunaris defectu & collectâ inde sanguinis vitiosi copiâ conceptionis læsio provenit, utique V. S. nullum utilius sub sole existit remedium, loco & in tempore administratum.

Parili modò mensum depletio nimia ubi in culpa, omnia plerumque frustra impenduntur, nisi celebrata fuerit V. S. quæ vel sola medelam afferre solet. Ita in obesitate exuperante, cum sanguinis copia diminutionem imperet, ne pondere natura gravetur & mole, & ob permixtos humores alios ad partes affluentes, curationem retardet, optimò cum successu in usum vocatur.

Cæterum *cucurbitule* V. S. vices sustinentes, urgente necessitate sat commodè substituuntur; magis tamen scarificatæ, quàm siccæ, quæ, teste *VValso meth. med. p. m. 294.* parum operantur & sanguinem saltem ab unò locò in alium trahunt. *Hæmorrhoidibus* curatam vidit conceptionis læsionem *Fabr. ab Aquap. part. 2. oper. chirurg. c. 97.*

*Fonticulos*, etsi ab *Helmontio*, *Martiano*, *Primerosio*, tanquam remedia parum aut nihil juvantia rejiciantur, in nostro affectu, parti crurum sylvestri inustus, insigni cum fructu nonnunquam in usum vocari posse, confidimus, quoniam humores ad partes debiles deferri consuetos, successive invertunt locoque aptiori eliminant. *Setaceum* quid conferat, edocet *Hildanus cent. 1. c. 4.* ubi profluvium album & inde ortam sterilitatem eò felicissimè curavit.

*Flagella*, quibus Romanorum mulierculæ, sterilitate laborantes, Lupercis februantibus se offerebant, cum remedium crudelius, commendare nolumus, ne ipsi in sexum verecundum crudeles videamur. Nihilominus legi possunt, quæ de ejusmodi curâ ex Festo Pompejo & Dempstero recitat *Illustris Barthol. epist. de flagror. usu in remed. p. 22.*

*Morbi conformationis*, nisi profundè lateant, unicè auxiliū expectant à chirurgia. Atretæ enim sive velatæ ad conceptionem aptæ reddi non possunt, nisi pudendorum orificium clausum, factâ scalpello acutò incisione, aperiatur, hæc tamen cum cautelâ, quam



dat *Sylvius lib. 3. med. prax. c. 5. §. 75.* ne lædantur carunculæ myrtiformes, partesque ipsis adnexæ: hac peractâ & sanguinis fluxu *ἰσχυρί-μοις* sedatô, vulvæ fistula plumbea indatur, medicamento epulotico illita, ne labia iterum coalescant, usque ad perfectam consolidationem. Ubi & illud insimul tenendum, quod membrana superflua, si adsit, consumenda tollendavé, vel medicamentis erodentibus, sive cauteriis potentialibus, vel cultello forficibusque.

Eodem ferè modô curatur *occlusio orificii interni* à carunculâ, nisi quod ante operationem, imò in operatione ipsâ opus habeat chirurgus *speculô uterinô*, in fine itidem fistulâ perforatâ, quò cicatrix meliùs inducatur.

Plura de hac operatione tradunt post *Corn. Celsum & Aëtium Aquapend. l. c. 84. Scultet. armament. chirurg. p. 1. tab. 43. Barbette oper. chirurg. part. 1. cap. 13.* Similiter inutile & sequiori sexui molestissimum tentiginis incrementum aliæque excrescentiæ & sarcomata, instrumentô ad polypi excisionem adcommodatô, auferuntur, ductu sæpè laudati *Aquapend. lib. alleg. c. 86.* quæ ablatio, testibus *Bellonio & Paulo Jovio, Æthiopibus, Ægyptiis, aliisque fœminis orientalibus* maximè usitata & necessaria.

### CAPUT XIII.

## *pharmaceutica remedia adducit.*

**R**elictô fonte chirurgicô ad pharmaceuticum progredientes, egregia offendimus auxilia ad debellandum hunc hostem maximè aptata, quæ dogmaticorum more, singula suis loculis reposita, trademus. Cùm autem pro causarum multitudine & diversitate curatio, modò ad totum corpus, modò ad uterum ac reliquas partes genitales sit dirigenda; medicamenta quoque dividantur in universalialia, quæ corpus universum magis respiciunt, & particularia, quæ parti potissimum laboranti succurrunt: ita in sterilitate, ab humoribus in corpore & uterô abundantibus, oriunda, universalialia nequam debent prætermitti. Hinc agmen ducunt



**LENIENTIA**, quæ sicuti in quovis ferè morbò conducibilia, ita speciatim & in nostro conveniunt, & quidem tantò magis, quòd *partim* per se indicata, primas vias ab impuritatibus repurgant, intestina blandè abstergunt, sordesque collectas ad inferiora divertunt; *partim*, quòd aditum præparant faciliorem medicaminibus cæteris. Adde & hoc, quòd mulierculæ delicatiores purgantia fortiora non æquè sustinere valeant, hæc verò purgantium vices excipiant. Ex plurimis laudamus *passul. min. mann. calabr. decoct. prunor. syr. rosar. solut. & aloëtica*, qualia sunt: *Pil. aloët. Eftens. Glassian. Fr. Quercet. Sal. Dn. D. Prasf. &c.* quæ pro lubitu acui & exaltari possunt. Species laxantes pro infusione & nodulis cum uterinis remixtæ, quoniam notæ atque in practicoꝝ analectis largâ manu consignatæ, prolixiorum enarrationem hic non efflagitant.

*Clysteres lenientes*, additis uterinis elutrientibus & abstergentibus, ob uteri viciniam usum pollicentur non condemnandum, propterea nec laude suâ privandi.

**PRÆPARANTIA** lenientibus nunc adjungenda, quæ, pro diversâ humorum naturâ & corporis dispositione, varia esse solent, potissimum ex incidentium, attenuantium & aperientium familia, inter quæ Talia reliquis palmam facilè præripiunt, dum pituitam disponunt ad exitum & obstructions, si quæ adsunt, reserunt, unde optimò jure ab *Excell. Wedelio* sterilitatis panacea salutantur, & si humores acidi, austeri, acres deliquerint, absorbentia, præcipitantia & invertentia maritanda, omnia pro judiciò cordati ac prudentis naturæ ministri: Talia sunt *Artemis. absinth. croc. Aperit. Digestiv. pulv. cacheët. Quercet. Mixt. S. aperit. Penot. Ra. pomat. cydon. Ess. Absinth. Ess. Olat. c. R. papav. rhead. combinata & similia.*

Præparatis humoribus **PURGANTIA** propriè sic dicta essent producenda, ut ablatis succis inutilibus humores aptarentur ad contagium seminale suscipiendum, sed, quoniam notissima & ab artis gnarò, facili laboris impendiò in variis formis præparari & præscribi possunt, tempus & paginam in iis recensendis insumere nolumus. Ea propter B. L. ad autores, qui de morbis mulierum commentati sunt, remittimus, ubi amplam horum reperiet farraginem.



VOMITORIA mira interdum in hoc affectu præstant, imprimis ab incantatione exortò, autore B. D. D. Michaelis. ubi *belleborus niger*, *Siata* & *Glica* eximie se gerunt.

DIAPHORETICA, post sensibilibiter evacuantia, cacochymiam & cachexiam feliciter exhauriunt, humores pravos discutiendo & ab uterò repellendo. Laudantur præ cæteris Bezoardica mineralia v. g. *Bezoard. mineral.*,  $\aleph$ ,  $\aleph$ ,  $\delta$  *diaphor. C. C. phil. ppt. mag. eboris*,  $\delta$  *Sal. cacbeet.* Salia fixa: *cent. min. matricar. meliss.* Item  $\mathbb{R}$ . *Bezoard. acid. Ess. theriacal. lignor.* & *Essent. lign. sanct. theriac. Androm. Mitbridat.* Quò etiam pertinent volatilia:  $\mathbb{R}$ . *Bez. vol.* & *liq. CC. & eboris succinat.*  $\ominus$  *vol. succin. C. C. ebor. viperar. flor. \*ci,* &  $\ominus$  *\*ci*, cum  $\odot$  is uterinis aliisque congruentibus amicabili connubiò maritatus. *Decoct. lign. Guajac. simpl. & compos.* (cujus descriptionem dat B. Rolfinc. *ordin. & method. consult. conf. 2. lib. 11.*) *decoct. lignor. cum rad. sassaparill.* commixtum itidem conveniunt; & hoc in passu *Sassafra* vel in decoctò vel essentia vel  $\mathbb{R}$ . princeps decantatur remedium à pluribus. vid. *Baubin. histor. plantar. lib. 4. cap. 33.*

DIURETICA ad extirpandam infœcunditatem admodum idonea, quoniam vasorum genus permeando, quicquid vitiosi offendunt, ad renes deducunt, ut unà cum urina per vias ordinarias eliminetur, sicque uterum impuritatibus refertum egregie mundificant. Laudem ex multis merentur  $\sim$   $\ominus$  is,  $\oplus$  li,  $\mathbb{F}$  ri,  $\mathbb{R}$  a *violar. rosar.* & *aperitiv. Penot. Clyff.*  $\delta$   $\mathbb{A}$  rat.  $\mathbb{A}$  at. D. D. *Præsid.*  $\mathbb{R}$  *varia c. arcan.*  $\mathbb{F}$ ,  $\mathbb{R}$  *aperit. Mæbii, Zwelferi,* & *terebinth.*  $\mathbb{F}$  *Sal. Zobelii, arcan. duplic. arcan.*  $\mathbb{F}$ , *lap. S. Pil. de terebinth.* quarum usu frequenti per ver & autumnum sterilitatem curavit *Ballon. lib. 3. consil. 30.* Peccante corpulentia nima, præmissis præmittendis, *pil. de sandaraca Mynsichti*, nec non *sassafrata* ante laudata egregia sunt.

ACIDULÆ ET THERMÆ, *Caroline, Spadana, Swalbacenses* &c. internè usurpatæ, purgatò prius corpore per omnia ferè emunctoria, hic & alibi locum inveniunt sat commodum. Fœcundiores enim faciunt fœminas & partes longiori præclusas sterilitate, ad conceptum felicissimè relaxant. Hinc *Fonsecat. 2. consil. 71.* in  
aquis



aquas Tetuccianas, Capivaccius & Trincavell. l. 3. consil. 79. & seq. in Aponenses, Aquarianas & D. Petri primariam hujus mali curationem rejiciunt.

Post universalia exhibeantur remedia PARTICULARIA ALTERNANTIA, sterilitati adsignata & per experientiam à Practicis comprobata, quæ sanguinis, uteri, aliarumque viscerum dyscrasiæ desiderant, corroborandi simul, & specificâ, quod vocant, virtute conceptum juvantia, quorum jam sub universalibus ex parte mentionem fecimus.

Et quoniam frequentissima infœcunditatis causa est cacochymia seu status corporis pituitosus, ita ut lymphæ, uterûs, pori, oviductus & ovaria minus benè sese habeant, *Ælia* suprâ recensita optimè indicationibus suis satisfaciunt. His enim solis adhibitis curam refert fœminam *Celeberr. Wedel. in not. ad casus Timei*, quæ octo circiter annos in sterili vixerat conjugio, ut multorum liberorum mater fuerit reddita.

In sterilitate à flatibus uterinis carminativa in genere svaderi debent: *Helmontii & sæpe citati Dn. D. Wedelii* experimento laudatissima sunt semina quatuor calida majora, vid. tract. de med. facult. lib. 2. sect. 2. c. 4. Adde his *Monardi* de ligno sassafras, quod habet *Baubinus histor. plantar. l. c.* plura affert *Vidus Vidius d. l. cap. 19. p. 685.*

Cæterum SPECIFICA, quæ ab Autoribus hinc inde commendantur, sunt vel roborantia & stimulantia, vel humectantia & mundificantia. Præ omnibus magni æstimantur medicamina ex *satyriô* facta. Sic hujus essent. à *Crollio* descriptam, mirè extollit *Riverius*, in vino Malvatico si exhibeatur. ⊖ ejusdem vol. *Hartmannus* in vitæ mulier. albo vel vino Hispan. sumtum, quò multas restitutas scribit *Grulingius. Rad. item eryng. condit. sem. seseli, ammios, erysim. NM. anthophyll. omniq; aromata, succol. Ind. & c.* Et quamvis stimulantia hæc in fœminis non æquè locum invenire videantur ac in viris, quandoquidem in se & à naturâ lasciviam habeat mulier, adeoque *Hippocrate* monitore, semper indigeat moderatore; ex parte tamen conveniunt, quatenus non tam stimulant, quàm calorem debilem firmant & roborant. Porro famosa sunt *uter. & coagulum leporis, vulv. & uter. cervæ ppt. testic. vulp. & apr. ppt.* præcipuè si cum essent. ex secundin. mulier. fœcund. parata propinentur.



tur. ~ *secundin. primipar.* quæ filium enixa, *Essent. testicul. apr. cerv.*  
 ~ & *essent. formicar. maj. essent. contra sterilit.* *Mynsichti, Michaelis, Extractum contra steril. ejusdem.* *Ra Corallior. sassafrat. Essent.*  
*Ælis Oli, ac manna Oli à Schrödero lib. 3. pharm. med. chim. c. 26. de-*  
*scripta, & decantatissima illa mulierum medicina, tryphera magna, ex*  
*quibus mixturæ, electuaria & pulveres facili labore confieri*  
*valent. Pulv. Veronica per dies aliquot usurpatum laudat Sim. Pau-*  
*li Q. B. p. 513. magisterium suum Zwælfser. pharmacop. Reg. pulv.*  
*secundin. human. Riverius, quem tamen sterilitatem inducere asse-*  
*runt Hæferus & alii. O majoran. Nat. coagulô leporinô remistô*  
*& moschi tantillô, arcanum conceptui facilitando nulli referendum*  
*autumant Pena & Lobelius stirp. adversar. nov. p. 213. Decoct. pomor.*  
*Mandragoræ cum vino, Langius: Hoc, quâ ratione læsæ conceptioni*  
*adversetur, inquit Cass. à Reies in Elys. camp. quest. 43. §. 5. & seq.*  
*Heliodeus Paduanus in observat. commemorat, ex usu brodii, in quô*  
*carnes viperinæ decoctæ erant cum columba juvene, mulierem quan-*  
*dam leprosam ita convaluissè, ut semper antea sterilis fœcunda e-*  
*vaferit.*

Plura specifica hîc recensere nolo, quæ apud Botanographos  
 & Practicos largâ manu hinc inde adnotata reperiuntur & partim  
 jam dicta, partim apud eosdem evolvi merentur; veluti de *pomo*  
*aurantior. dulci excavatô & cum croco in furnô assatô Herodot. Cro-*  
*colog. curios. cap. 70. num. 1. de placentulâ mentastri coronæ instar*  
*effigiatâ pectiniqûe appositâ. P. Borellus cent. 1. observ. 34. de ouminô*  
*æthiopico, salvia hortensi, alchimilla arida, fructu & O balsaminæ*  
*&c. Jason à Pratis de steril. arcend. p. 214. Matbiol. lib. 3. commentar.*  
*in Dioscorid. cap. 34. Bauhin. histor. plantar. lib. 27. cap. 90. Schenk. lib.*  
*4. obs. 129. pag. 614. Id unicum adhuc notandum restat, quod in casu*  
*dubiô, si sterilitas à fascinô originem fumere videatur, præter svaden-*  
*das preces medicamentis prioribus addi possint, quæ aliàs contra in-*  
*cantationes laudari soleant, ut antirrhinum, filix, verbena, & maxi-*  
*mè quod deprædicatur, hypericum omniaqûe exinde confecta. Id*  
*in talismodi casu satis commendari nequit Paracelsus lib. 3. de rebus*  
*natural. cap. 5. & Angel. Sala l. de Essent. vegetab. c. 7.*

Hæc & similia interna virtutes suas meliùs exerunt, si EXTER-  
 NA sive TOPICA eisdem adlociantur.



*THERMÆ naturales*, *Ææ*, *bituminosa*, *Æles*, *vitrofa*, ad quas mulierculæ lobolis avidæ, tanquam ad afylum, optimô cum fuffeffu confugiunt, plurimum fpondent auxilii, quando malum à cacochymia, uteri impuritatibus, obefitate exuperante, & fi reliqua non juverint. Sic ante laudatæ, externâ fuâ alluvione in infefibus ritè ufurpatæ, intemperatam uteri constitutionem egregiè corrigunt, fingulare robur eidem fœnerantur, ac referatis vilcerum obftructionibus polleritatis fpem faciunt optatam.

*Artificiales* feu *balnea* ex dictis mineralibus adjectis vegetabilibus abftergentibus, uterinis, etiam in illarum defectu parari poffunt v. g. *herb. puleg. Æal. rofmarin. falv. matricar. organ. ferpill. calamintb. artemif. bacc. laur. &c.* quibus urgente neceffitate ex adftringentium claffe admifceantur, *fol. myrtill. lentifci, rad. bifort. tormentill. confol. maj. flor. balaufior. rofar. rubr. &c.* Sic fpecies pro balneo *Mynfichti, Hartmanni, Sennerti*, aut quas *Grembs. l. 2. arbor. int. & ruinos. c. 1. §. 12. p. 230.* præfcribit, finitâ purgatione menftruâ optimô cum fructu in ufum revocantur. Ex dictis fpeciebus etiam parantur *fuffitus humidis*, per inftrumenta idonea finu muliebri excipiendi, qui egregiè fuam locant operam. *Siccis* fi arriferint, adhiberi poffunt faciles paratu *ex thure, myrrha, benzoë, succino, mafliche, caryophyll. aromat. NM. rof. vulgar. & fimilibus*, vel in pulvere, vel cum mucilag. tragacanth. in trochifcos formatis.

*INJECTIONES ET CLYSTERES uterini* pro parietum uterinorum & vaforum ablutione, exficcatione & roboratione ex antea dictis confieri poffunt, quales apud *Riverium, Mercatum* & alios, qui de affectibus fœmininis fcripferunt, ubertim extant. Et, fi uterus ex ulcere aut vulnere læfus deprehendatur, traumatica cum aliis congruentibus adjiciantur, fvidente *Harveo exerc. de partu p. 275.* Ejusmodi metrenchyta, matronam diù sterilem à vulnerato utero feliciter reftituit *Nob. D. Volckammer. Dec. 1. An. 10. Ephem. German. observ. 62.* non omiffis medicaminibus internis, ut postmodum proliferô imbre fœcundata quinque liberos perfectos ac fanos enixa fuerit.

*PESSARIA & NASCALIA*, nifi fastidierit verecundi fexus pudor *ex fol. Æal. & ejusd. fucco, matricar. meliff. aristol. rot ma-*



*stich. galban. &c. c.* ☉ spicæ, melle anthosat. rosat. præparata valent, quæ per horas aliquot detenta non infeliciter cedunt. Exempla afferunt *Mynsicht, Riverius, Grembs, Heer*; qui posterior solò succo ☿ial. cum aquis Spadanis & jusculis exhibitò, & injectò ex eodem succo, encolpismò duas steriles felicissimè curavit *observ. 14. p. 177.*

INUNCTIONES post balnea & suffitus ex oleis & linimentis roborantibus odoratis circa pubem & umbilicum non negligendæ, si modò uterus svaveolentia tolerare potest, e. g. ☉ *cheir. nardin. majoran. caryoph. styrac. liquid. Zibeth. mosch. unguent. comitiss. c.* ☉ cydon. menth. anis. fœnicul. &c. *Grembs. l. c.* ☉ *formicar.* ad fœcunditatem mirè extollit, cujus descriptionem dat *ibidem p. m. 231.*

EMPLASTRA & CERATA uterina roborantia subumbilicali & lumborum regioni apposita, quæ continuò gestentur vel singulis noctibus usque ad ultimam, quâ menses erumpere solent, septimanam, huc etiam spectant, v. g. ex *ladan. elect. alipt. moschat. thur. mastich. galban. styrac. c.* ☉ *caryophyll. cheirin. & cera.* Empl. pro matric. de *galban. tacamahac. de mastich. &c.* Huc refer cataplasma *Foresti lib. 28. obs 58. & sacculos ex meliss. calamintha, mentha a. matricar. compos. & cum vino conspersos ac à Sennerto, Riverio, B. Rolfincio* aliisque commendatos.

Ad magneticam curam, quâ per transplantationem infœcunditatem abigere contendunt, nonnulli confugiunt; quâ de vid. post *Turnbeiser. Tenzel. in medicin. diastrat.*

#### CAPUT XIV

### *diætam subnectendo dissertationi finem imponit.*

SUPEREST postremò, postquam remedia pharmaceutica ad infœcunditatem exturbandam facientia hætenus delibavimus, ut legitimum rerum, quarum inevitabilis nobis semper intercedit necessitas, usum brevissimis subnectamus.

*Aër*, cujus prima cura esse debet, ei, quem supra *cap. 6. de non naturalibus causis* conceptui arcendo commodum diximus, sit contrari-



ns, videlicet eligatur purus, temperatus, à qualitatibus alienis immu-  
nis, ad calidum & siccum inclinans, verno, juxta *Hippocratis* elogium,  
similis. Talis si non sit, arte concilietur ac conservetur. Vitetur fœ-  
tidus ac alioqui ingratus, nimis humidus, à ventis austrinis inquina-  
tus, nebulosus, frigidus.

*Cibus*, cùm juxta legitimæ methodi dictamen adsumtus, mul-  
tum conferat ad abigendam sterilitatem, in usum quotidianum traha-  
tur *εὐπεπτι* & *καὶ εὐχυμ*, qui parum excrementitii secum occultit,  
alibilem spirituosumque sanguinem suppeditans, eoque utatur ægra  
in quantitate modicâ, ne ventriculum gravet; in qualitate magis sic-  
câ, quàm humidiori; vitet lactinia, farinacea, non fermentata, frixa,  
viscida, fumô indurata; item acida, pingvia, leguminosa, *verbó*: cru-  
da omnia. Hæc vel non, vel parcè mensæ adponantur. Horum loco ex-  
hibeantur carnes animalium juniorum delicatiores, bubula de juvene  
cum rad. pastinacæ cocta, *consilio B. Rolfincii l.c. p. 895.* caponum, gal-  
linarum, columbarum, perdicum, coturnicum, alaudarum, turdorum,  
rusticularum, attaginum, pisces saxatiles & gammari, quorum carnem  
ad excitandam Venerem inter alia commendat *Platerus* citante *D. D.*  
*Sachsio, Gammalog lib. 2. f. 2. c. 6. p. 770.*

*Potus* sit cerevisia probè defecata, lupulô condita. Vino ad-  
svescat generoso, Hispanico, annoso. Rubrum præ albo eligendum  
monet *Cous*. Aquarum frigidarum, nivalium, palustrium aut glaci-  
alium usus penitus interdicens.

*Somnum & Vigiliæ* quod concernit, in iis semper cavendum *τὸ  
πᾶν*. Utraque enim nisi vices debitô tempore alternent seque in-  
vicem sublevent, periculum minantur.

*Motus & Quies* justis temperentur mensuris. Præstat blan-  
dum & lenem antepone vitæ sedentariæ & quieti nimix, qua pluri-  
mas in corpore colliguntur impuritates & excrementa; alvus quotidie  
suum faciat officium, si non, aptis sollicitetur adminiculis. Mensium  
quoque ordinaria habenda ratio, ut in singulis debitè & cum *εὐφορίᾳ*  
pro ætatis, temperamenti, vitæque generis conditione naturæ fiat satis.

Tandè *animi pathemata*, rectæ rationis moderentur habenis, præ-  
sertim tristiora, quæ cane pejus & angve fugienda. Metus, odium, ira &  
tristitia longissimè abigenda, & ad Indos Garamantasq; releganda mo-



rositas. Omnia sint læta in concipiente, hilari animò expectet prolem. Severæ cogitationes, etsi bonæ, ut & sollicitudines tunc temporis penitùs exulent. Venus deinceps quomodo colenda, ne impudicis aurem vellicemus, recensere superfedebimus. Plura qui desiderat; adeat *B. Rolfinc. l. c. p. 897.*

Atque hæc sunt, quæ de affectu maximè exosò & detestabili apud Veteres pro ingenii modulò adducere licuit, fatemur nonnulla præterita esse, nonnulla levi tractata manu, sed cum *Autore Quintiliano*, studiorum quædam sit infantia, veniam speramus B. L. donec & ætatis & doctrinæ fructus maturiores meliora polliceri valebunt. Medicè hunc morbum tractavimus non Ethicè, quòd si tecum perpende-  
ris, facilem nobis veniam eris daturus. Vale & hæc quò scripsimus, castò perlege animò.

## SOLI DEO GLORIA!

**D**E Sterili loqueris, sterili non semina reddis  
Doctrinæ: en fructus! contexta volumina filo  
Pæonio! Sunt grata Chironi, plaudit Apollo.  
Addo meum votum: Reddat tibi munera virtus!

*Honoris ergò Nobil. & Clariss. Dn. Ddo scrib.*

Frid. Bechmann D. P. P.

**N**on sterile ingenium Tua dissertatio docta  
arguit. Hinc praxis larga & fœcunda sequatur  
famaq; cum pleno fortuna & divite cornu.

His Clarissimo Dno BERTUCHIO, Medicinæ Doctorando dignissimo gratulatur & felices successus adprecatur

*Rud. Wilb. Krauß / Phil. & Med. D. P. P.*

**H**actenus ingenii conceptus ubere fructu  
eximium peperit non sine laude decus.  
Jam fœcunda bonis largitur hygeâ brabéa,  
pluraque mox spondet partus honoris apex.

*Auloxiadasi plenissimo tamen affectu facieb.*

Georg. Wolffg. Wedelius D.

**B**ertuchi; virtus nunquam sterilescet, acumen  
Ingenii prorsus sterilitate caret.

Cernis? ut auretarn texat nunc fama coronam,  
Quam templi in medio fœnice figat honor.

doctissimo Dn. Candidato gratulatur

*Johannes Frischmuth / P. P.*